BARTHOLOMAEI CAMERARII, BENEVENTANI

DE PRÆDESTINATIONE DIALOGI TRES,

CATHOLICVS, Dialogus primus.
PROTESTANS, Dialogus ſecundus.
CALVINVS, Dialogus tertius.

Neminem damnat antequàm peccet:
Neminem coronat antequàm vincat.



PARISIIS,
Ex typographia Matthæi Dauîdis, via amygdalina, ad Veritatis inſigne.
1 5 5 6.

AD MARGARITAM VALESIAM CHRISTIANISSIMI *Regis Henrici ſororem.*

QVANQVAM *multi, eam ob cauſam tibi ſuos libros dedicauerint, quòd Franciſci quondam Regis optimi filia eſſes, qui magnis virtutibus ornatus, non modò huius Galliarum regni, ſed totius orbis imperio dignus erat: Henrici quoque ſoror, qui multis rebus præclarè geſtis, paternam laudem non cõſeruauit ſolùm: verùm etiam auxit. Plerique verò, quòd ſingulari pietate, religione, atque aliis virtutibus eſſes prædita: quas partim munificentiſſimæ naturæ liberalitate conſequuta es, partim magnis laboribus ſummíſque vigiliis comparaſti: quas quidem ſi ego poſt tot eximios poetas, ſplẽdidiſſimos oratores, hiſtoricos veraces, ac graues ſapientéſque tam diuinæ quàm humanæ Philoſophiæ profeſſores, hac pertenui mea oratione narrare coner, nil equidem aliud agere, quàm magnam partem earum minuere videbor. Me tamen hæc ſola ratio, vt illum tibi conſecrarem impulit, nempe quòd ſi altera ex parte, Prædeſtinationis quæſtio, tot tantíſque ſubtiliſſimis ſententiis eſt referta, & reliquas ſic antecellit, vt magni quoque nautæ, perſæpe in hoc*

Prædestinationis pelago naufragium fecerint: ex altera, tu sola, adeò pudico cælestíque ingenio dotata es, vt omnia Scripturæ arcana summa cum facilitate enucleare possis. Quare duo me omnino consequuturum videbam: alterum, vt siqua bene à me scripta fuisse inuenires, optimum ingenij tui pabulum essent: alterum, vt siqua malè me scripsisse deprehenderes, tuo limato & polito iudicio, prius emendares, deinde verò iustè tuereris. Vale.

AD LECTORES,

CVm vnicam conclusionem in hoc libello defendendã proposuerim, qua sententiæ Ambrosii de præuisò bono vsu gratiarum Dei prædestinãtis faueo: ob eámq; causam diuersis argumẽtis quæ Augustinus, Scotus, Driedo, Caietanus Thomæ etiam nomine, Catherinus, Quinque Protestantes, atque Caluinus aduersum eam proponunt, sigillatim respondere cogar: rogatos vos velim, ne antequàm omnia accuratè legatis, præmaturè iudicare velitis: memores quàm à ratione alienum sit, lege tota non perspecta, de re aliqua iudicare. Efficietis procul dubio, si huic meæ honestæ petitioni acquieueritis, ne multa, vestra auctoritate indigna effutiatis, quæ ab alijs in medium prolata, iustè explosa iam fuerunt: Deinde verò, vt vos quoque à certo sensu & vero, de omnibus semel iudicetis. Valete.

CATHOLICVS.

- Dei bonitas.
- Dei ſapientia.
- Dei prouidentia, quę vult omnes ſaluos fieri, modò ipſi velint.
- Dei præſciētia futurorum omnium.

Prædeſtinatio. Reprobatio.

CAPVT PRIMVM.

Argumentum operis, Prædeſtinationiſque ordo.

SIMONETTVS, CAMERARIVS.

OPTAREM, Camerari, vt antè quàm difficillimas pręděſtinationis quæſtiones tractare incipias, ea facilitate, qua poteris, ordinem quem Deus prædeſtinando ſeruauit, nobis oſtendas. CAM. Niſi ipſam Dei ſapientiam, vnigenitum nimirum Dei filium, quem ab æterno ſe ipſum videndo pater genuit†, & quot hoc nomen ſapientia complecta- *Dei ſapiē-tia.*

† *Aug. lib.* 2°. *de Trin. ca.* 1.

tur, intelligas, minimè ordinem hunc rectè intelligere poteris. SIMO. Diu noui ſapientiam hanc, tanquam æternam ſubſtantiam, vnicam atque ſimplicem in Deo eſſe: quæ tamen propter diuerſos effectus, varióſque rerum ſtatus, plura ac diuerſa nomina ſortitur: ita quidem, vt non ſolum ſcientia, verum etiam prouidentia, præſcientia, prædeſtinatio, eam ob cauſam ſæpiuſcule dicatur † quia intelligere Dei, ſuum eſſe & ſua eſſentia eſt, nil per ſpeciem aliā intelligens ab eſſentia ſua.† CAM. Nouiſſe te igitur haudquaquam ambigo, ſummam rerum omnium prouidentiam in Deo eſſe, quæ ab æterno omnia præſciens, quæ futura vel non futura erant, tam bona quàm mala, ſiue cœleſtia ſiue terrena, ſiue voluntatem habentia, ſiue non, cuncta gubernat†: ſpeciali tamen modo, quaſi priuilegio quodam illos intuetur, in quibus voluntas inuenitur, per quam æternę gloriæ capaces ſunt.† SIM. Memini. CAM. Noſti quoque hanc prouidētiam duos oculos habere: quorum altero miſericordiam reſpexit, altero verò iuſtitiam. SIMO. Quid iſtud? CAMER. Non quidem te latet Deum, qui ſummè bonus eſt, & vult bonitatem ſuam ex ſui ſimilitudine, tum propter ſe ſicut finem operantis: tum propter vtilitatem noſtram, ſicut propter finem operis, participatione quadam perpetuò multiplicari:† miſericordiæ oculo altero, voluiſſe omnes quos in iuſtitia creauit, in gloriā præordinare: altero verò iuſtitiæ, vt quotquot ſpontè

Dei prouidentia.

Duo prouidētiæ oculi, quorū alter miſericordiam, alter verò iram reſpicit.

Dei prouidentia quæ hominē in iuſtitia originali creauit.

† *Magiſt.* 1. *diſt.* 35.

† 1[a]. *q.* 14. 2. *c.* & *a.* 4. *o.*

† *Aug. pſa.* 145. *et pſal.* 148.

† 1. *q.* 22. 2. *o.* 1. *diſt.* 40. *q.* 4. *c.*

† 1[a]. *q.* 44. 4. *c.* 3[m]. 1[o]. *diſt.* 45. 2. *c.*

à iuſtitia originali decidiſſent, ad oſtendendam eius iuſtitiam conſeruarentur†. SIMO. Sic Deus cùm hominem peccaturum præſciuiſſet, ad hoc potius præparauit voluntatem ſuam, vt bene ipſe faceret de male faciente†. CAM. Scis præterea quomodo eadem Dei bonitas, cum in genere ſciuiſſet omnes homines peccato Adami quaſi ſub vna iræ maſſa concludendos fore, generali quoque prouidentia altera, filium ſuum formam ſerui aſſumere ab æterno præordinauit, vt quod perierat, ſaluaret †, itaque in gratuitam iuſtitiam reſtituerentur, ac Dei filij fierent, quotquot ipſum reciperēt†. SIM. Dic quęſo, an ſub cōditione, vel ſub modo hę iuſtitiæ datæ ſint? CAM. Quid animum tuum ad hoc quęrendū impellit, in his terminis qui tādem eundem finem habent? SIMO. Id ſcire percupio, ánne ius aliquod in homines tranſlatum fuerit, quos in iuſtitia originali principiò Deus creauit, poſteà verò eos in gratuitam iuſtitiam reſtituit, tāetſi denique ab illa exciderint. CAM. Nullū ius re illi habere potuerunt, qui neque in tēpore iuſtitię originalis nati fuerunt, neque vllo vnquā tēpore in gratuitam reſtituti. SIMO. Nónne re, Adamo pro ſe ipſo, & omnibus quos virtute in lumbis detinebat, iuſtitia originalis data fuit? CAM. Non ſic data, quin in animam vniuſcuiuſque ex ſucceſſoribus, adhuc ſpeciatim infundēda non eſſet†. SIM. Sine pœnitentia Dei dona ſunt.† CAM. Fateor: nō tamē mutato hominis ſtatu facto eius, executioni

Marginal notes: †*Tho pa. q. 23. a. 3. c.* — † *Enchi. c.* 104. — †*Luc.* 19. — † *Io.* 1°. — †1a. q. 100. *a.* 1. 2m. — †*Rom.* 11.

Dei prouidētia, qua maſſam iræ in iuſtitiā gratuitam reſtituit.

Purè, nō autem ſub cōditione vel modo, tam originalis iuſtitia quā gratuita à Domino īfuſæ ſunt.

demandari potuerunt. SIM. Quid impedit quin in iustitia gratuita, ius aliquod eis qui nati sunt acquiratur? CAM. Quia in beneficio absenti collato nullum ius transfertur, donec absens sub debita forma suum consensum præstet†. SIM. Cùm verò consentit? CAM. Tunc non sub conditione, non sub modo, sed purè acquirit. SIM. Cur deinde amittitur? CAM. Quia propter mandata quæ Deus adiecit, omne ius in vtraque iustitia ad nihilum deduci potuit. SIMO. Quid & hoc? CAM. Si terminos illos nosti quibus Iurisconsulti in titul. de in diem adiectione vtuntur, expensis verbis illis, Adiecit mandata†: & purè ius translatum esse, in ipsa iustitiæ infusione, & deinde ob hominis inobedientiam resolutũ, facilè dignosces: nam talis naturæ erat, vt à consequutione finis deficere posset. †

† *c. si tibi absenti. de præb. in 6.*

† *Eccle. 15.*

† *Tho. pº. disti. 40. q. 4. a. 1. c.*

CAPITIS PRIMI. §. PRIMVS.

Qua ratione vnum origine alterum præcedat, tametsi simul absque tẽpore sint. & quis ordo in ipsa prædestinatione seruetur.

CAMERARIVS, SIMONETTVS.

NOSTI quomodo etsi omnia quæ diximus, simul absque tẽpore in ipso Deo sic consideranda sint, vt bonitas Dei dum aliquid vult, nunquam velle ea de re incipiat, quia voluntas Dei est suum esse, & essentia sua†, origine tamẽ in ipsa prædestinatione quam Deus ordine facit† Dei bonitas ipsam volũ-

† *1º. q. 19. 1. c. 3m.*

† *Aug. Cõfeßionum lib. 5. c. 9.*

†*Aug. de triplici habitaculo. c. 6. Basilius in lib. contra Eunomium.*

tatem præcedit?† SIM. In memoria habeo. CAM. Legiſti aliquando quomodo tria hæc, diſpoſitio, ſcientia, prouidentia ſe habeant per additionem vnius ad alterum? SIM. Thomã ego legi: cui placuit in re hac artificem aliquem nobis præponendum eſſe, domum ædificare volentem, qui ordinem conſtruendi domum prius intelligit, quàm aliquid operetur: vt ſciamus eodem modo quo artifex ex cogitatione ſola hoc opus ſcit, itidẽ Deum & ſui ipſius, & eorum quæ facit ſcientiam habere: quatenus verò ordinem quo vſurus eſt cogitat, diſpoſitio ratione duplicis ordinis dicatur, quem ponit in rebus, ſcilicet rei ad rem ſecundum quod iuuant ſe inuicem ad conſequendum finem vltimum, & iterum totius vniuerſi, ad ipſum Deum†: In quantum autem rebus ita ordinatis, ea tribuit quæ ordinem conſeruent, & omnium inordinationem propellit, prouidentia dicatur.† CAM. Hæc igitur cùm ita ſe habeant, ordinem hunc à me pictura paulò antè oſtenſum obſerua:

†*Metaphy 2.*

†*Tho. p°. diſt. 39. q. 2. a. 1. c.*

" Si prædeſtinationis ordinem ſcire optas, nempe ſapientiam ipſam Dei, quę ipſius bonitas quoque eſt, origine prouidentiam præcedere: prouidẽtiam autem, quę omnes homines in genere ſaluos facere volebat, præſcientiam: præſcientiam verò electionem, qua in ſpecie Petrum ſaluare propoſuit: electionẽ autem, ipſam prædeſtinationẽ.† SIM. Rectè. CAM. His explicatis, coniunge, quæſo, nunc ipſam Dei bonitatem & prouidentiam, qua ſapientia ſuperna

Prouidentia Dei, qua omnes ſaluos fieri vult in genere.

Electio in ſpecie.

Prædeſtinatio.

† *p°. di. 41. a. 2. c. et 3. c*

omnes ab eo in iustitia creatos, in gloriã æternam præordinare, ac deinde omnes redimere voluit: & ostende mihi, quid ipsam Dei voluntatem præcesserit? SIM. Dei bonitas sola. CAM. Progredere vltrà, & ipsam præscientiam omnium futurorum, Dei bonitati prouidentiæque coniungito: vt ea intelligas quæ Deus in specie quoque præsciuit. SI. Petrus sese mihi offeret: qui vt sapiẽtiæ Dei amicus fieret, per quam saluum se fore credebat, martyrium subire non pertimuit. E regione verò Iudas, qui triginta acceptis denariis, Christum patris verbum incarnatũ prodidit, deinde verò desperans, laqueo se suspendit, & medius crepuit†. CAM. Dic, quæso, Simonette, si Deus, qui sua gegerali prouidentia omnes homines è massa perditionis vocauit, vt venientes ad se per Christum salui fierent, antequàm Petrum & alios electos misericorditer (vt hoc Scholæ vocabulo vtar) prædestinaret, vel Iudam cum reliquis ob eorum demerita cõdignè reprobaret, suum consiliariũ te fecisset, omnia recensens quæ in personis Iudæ & Petri præsciuit, quid tu de eis agendum Domino cõsuluisses? SIM. Hominis ne consilium, Dei consilio comparandũ est? CAM. Minimè. atqui dic tu, quid consuluisses? SIM. Nempe vt Petrum, quem bene suis gratiis vsurum præsciuit, in specie prædestinaret: Iudam verò, quem malè vsurum præsciuit, sua iustitia reprobaret. Hoc vt dicã, natura me docet. tu autem an rectè senserim iudica. CAM. Rectum

Dei prouidentia præsciens omnia futura.

† *Acto. c. 1.*

Exẽplum pro rudibus, vt ordinem prædestinationis intelligant.

planè iudicium tuum eſt: quod ego ſacræ ſcripturæ teſtimoniis,cõtra omnes tam Catholicos quàm Lutheranos,qui huic opinioni contradixerint,defendere promptus ſum. SIM. Scribe, rogo, quid tu ſuſtinere contra omnes præſto ſis,vt illi conſultò ſua argumenta proponere poſſint.

CONCLVSIO DISPVTANDA.

CAM. Deus ſummè bonus, non modò omnibus in genere, qui virtute in lumbis Adami continerentur, ab eo in iuſtitia creandis, ſua prouidentia æternam gloriam dare voluit,modò ipſi in iuſtitia creati ab ipſa iuſtitia non excidiſſent: ſed etiam,cùm peccato Adami omnes in maſſa perditionis concludendos fore prænouiſſet, per Ieſum Chriſtum verbum incarnatum omnes quoque ſua generali prouidẽtia ſaluare decreuit,qui per Chriſtũ ſalui eſſe vellent. Verùm enimuero quia quoſdam in ſpecie bene, quoſdam verò malè, ſuis donis vſuros præſciuit: ſua miſericordia, iuſtóque volito, (vt ſic loquar) Petrum prædeſtinauit, Iudam verò condignè reprobauit. Deus quidem eſt, qui neminem condemnat antequam peccet,neminem coronat antequam vincat.†

† *Amb. Rom.9.*

CAPITIS PRIMI §. SECVNDVS.

Quid prædeſtinare ſit.

SIMONETTVS, CAMERARIVS.

TAMETSI idiotis orare potiùs quàm de ipsa prædestinatione disputare satius sit, quia tamen multi nobiles dum doctos viros disputantes audiunt, quid dicant, intelligere cupiunt, impetratum à te velim vt horum causa, quid vox ista, Prædestinare, significet, principiò explanare velis. CAM. Vox quidem cõposita est, ex præ, & destino, qua illos Scriptura ostendit, quos Deus præ, id est ante tempora secularia, ab æterno electos in gloriam destinauit, cõformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus†. SIM. Placet quibusdam, vocẽ hanc, prædestinare, ad personas potius quàm ad tempora referri: quasi præ aliis, quotquot electi sunt, destinentur. CAM. Si verba hæc, præ aliis, ita intelligas, vt alteram certam Deus prædestinationem fecerit, qua eos quos dilexit prædestinauit: alteram verò sub conditione, si alij qui vocantur, venire voluerint, vti quidam censent: quantum à veritate hæc sententia abhorreat, paulò pòst videbis†. Si verò verba illa, præ cęteris, id est in massa perditionis relictis dicas, assentior. SIM. Dicamus saltem idcirco præpositionem, præ, voci prædestinare præpositam esse, quia præ, id est ante vocationem fit. CAM. Quanquam ipsa prædestinatio vocationem præcedit, non tamen hoc Paulus considerauit, sed potius ante tempora secularia esse factã: quasi ea omnia quæ Deus prædestinãs vt sibi

Prædestinare.

†*Rom.* 8.

†*Infra.c.* 10.

præſentia ab æterno ante tẽpus operatus eſt, propter homines præparata eſſe dicantur, qui deinde facti ſunt in tẽpore.† Hac enim ratione ſcitiam, præſcientiam: deſtinationem, prædeſtinationem: ac propoſitum gratiarum dandarum in tempore, præparationẽ Paulus vocauit: ea uerò quæ facienda erant in tempore, ſimpliciter vocationis, iuſtificationis, glorificationis: nominibus appellauit: vt ea quæ ante tempus facta erant, ab iis quæ deinde in tempore facta ſunt, hoc modo diſtingueret.

†Ephe.c.1. 2.Rom.8. Titum.1.

Propoſitũ quid.

CAPITIS PRIMI .§. TERTIVS.

Prouidentia Dei.	Sciẽtia Dei ſimplex.
Præſcientia peccati.	
Præparatio pœnæ.	
Peccatum.	Scientia Dei cum beneplacito authoritatis.
Obduratio.	
Pœna æterna.	

Reprobare quid ſit, & de effectibus prædeſtinationis vel reprobationis.

SIMONETTVS. CAMERARIVS.

QVID reprobare eſt? CAM. Meminiſti quædam ſimpliciter Deum ſcire, quædã uerò cũ beneplacito authoritatis†? SIM. Aliquod præbeas exemplũ rogo. CAM. Si conſiderabis peccatum ſecundum Dei voluntatem eam ob cauſam committi, quia cum ipſe hominem peccaturum ſciat, eum peccare permittit,

†Mag. lib. 1.diſt.38.

tametsi eius authoritate non fiat: pœnam verò peccati quam præsciuit vt peccatum puniretur, secũdum beneplacitum authoritatis suæ ordinatã esse†, hoc optimum exemplum erit. SIM. Quid hoc est? CAM. Id quod Augustinus ad Prosperum & Hilarium scribit, peccatores in peccatis quæ Deus non fecit, præscitos tantum esse, non autem præparatos, † quandoquidem si peccatum plerunque pro pœna peccati stat, quam Deus præparat, non ibi peccatum Dei est, sed iudicium: ita quidem, vt iustitia, non autem prauitas peccandi, præparata dicatur†. Hoc enim modo, vocabulo largius sumpto, prædestinati quoque dicuntur hi, qui reprobãtur, eò quòd à Dei prouidẽtia ipsa pœna preparatur, hoc est, in Dei proposito manet, suo tempore puniendos esse†. SIM. Eadem ergo prouidentia, quę in genere omnes iustos saluare volebat, contrà, eos qui à iustitia exciderent puniendos esse decreuit. CAM. Cum enim Deus sua prouidẽtia præordinasset, vt homo rectus creatus, suis donis concomitatus, per successiones gratiarum ipso Deo frueretur, huius verò natura talis erat, vt à finis consequutione deficere posset: præsciens Adamum peccaturum, hunc defectum, in bonum iustitiæ eam ob causam cedere ordinauit, † vt ex æquo iustum & misericordem sese simul ostendens, quantũ mali ipsa superbia, & quantum boni sua gratia valeret, nobis commonstraret †. Sic enim sicut prouidentia diuina, considerato bono quod est, per

Præparatio pœnæ.

† *Aug. ad Simpli. lib. 1. q. 2.*

† *De præd. sanct. c. 10.*

† *De Gene. ad lit. lib. 11. c. 9. et li. Sentẽ. sẽt. 379.*

† *Aug. de ciuit. Dei lib. 11. c. 18. et enchi. c. 104. Tho. pª. q. 23. a. 3. c.*

† *pº. distin. 40. q. 4. a. 1. c.*

† *Aug. de ciuita. Dei lib. 14. c. 27 de Gen. ad lit. lib. 11. c. 9.*

consequutionem gratię & gloriæ, cum pręscientia euentus, dicitur prædestinatio: prouidentia diuina respectu mali oppositi, cum præscientia defectus, dicitur reprobatio. SIMO. Quid propriè verbum hoc reprobare significat? CAM. Cùm ipsa prouidētia diuina, tam prædestinationem quàm reprobationem sub se contineat, & ad eam spectet, permittere vt aliqui à fine consequutionis gloriæ deficiant, in quibus suam iustitiam ostendat, hoc cùm fit reprobare dicitur. † Hinc sanè prouenit vt effectus prædestinationis gratiæ appositio sit: reprobationis verò effectus, ipsa induratio: quæ minimè à Deo originem habet, sed potius à peruersitate hominis oritur, qui incipit Deo resistere: & cum propriis desideriis relinquitur, sibi ipsi in peccatis placens obduratur: quem sic iustè Deus obdurari permittit, ac iusto iudicio suo deinde indurat, vt peccatum sit pœna peccati†: quemadmodum fusius in nostro Protestante dicemus.† SIM. Progredere Camerari, vt reliqua quæ ad hos effectus attinent audiamus. CAM. Quatuor per se distincta considerare debes, vt hos effectus facilè intelligere posſis. SIM. Quæ? CAM. Primo loco Dei bonitatem atque sapientiam intueri debes, quæ sua prouidentia plena misericordia omnes saluos fieri vult, qui salui esse voluerint,† vti paulò antè dixi. Secundo, omnia illa intuenda erunt, quæ ante tempus facta sunt, quorum paulò antè meminimus vt effectus qui à voluntate Dei ante tem-

Marginal notes (left):
† pa. q. 23. 3. 2m. veri. q. 6. 1. c. 1. dist. 40. q. 4. a. 1. c.
† Tho. pa. q. 23. a. 3. c.
† Aug. ad Simpli. lib. po. q. 2.
† In Prote. parte. 4a. c. 3. in prin. et § .1. et 2.
† Amb. ad Rom. 9.

Marginal notes (right):
Prouidētia diuina, modò prædestinatio, modò verò reprobatio dicitur.
Effectus prædestinationis, gratiæ appositio: effectus reprobationis, induratio.

pora secularia processerũt cognoscas†. Tertio verò loco, ea quæ cum prædestinatis fiunt in tempore: exempli gratia, cùm ordine illo Pauli† prædestinatum Deus vocat, iustificat, & gratias ei elargitur†: vel cum reprobatis, quos magis ac magis iustè indurat†. Hæc enim omnia prædestinationis vel reprobationis effectus vocantur, aut alio nomine, actus, vel executio quæ tendit in finẽ. Quarto finẽ ipsum prædestinationis, quæ æterna gloria est, cùm gratiam pro gratia Deus elargitur†. finem item reprobationis, quæ ipsa pœna æterni ignis est. SIM. Rectè quidem omnia. perge vt reliqua audiamus. CAME. Cùm hæc noueris, rursum scire debes, hos prædestinationis effectus bifariàm considerari posse: altero nimirum modo in particulari, vt aliud sit prima gratia, cui consensum pręstamus: aliud reliquæ gratiæ, quibuscum operamur. Altero verò modo in communi. exẽpli gratia, Si vocationem, iustificationem, reliquásque gratias, & glorificationem simul consideremus.

† Aug. de præd. sanc. c. 10
† Rom. 8.
† Aug. de præde. san. cap. 10.
† Dicemus infrà. in Protestante, parte. 4. c. 3.
† Aug. de gra. & lib. ar. c. 8. et 9.

Effectus prædestinationis ĩ comuni, et in particulari

CAPITIS PRIMI. §. QVARTVS.

- Prouidentia Dei ante quàm prædestinet.
- Prouidentia Dei, quæ prædestinans, ipsam prędestinationem tanquam partem subiectiuam sub se continet.

SIMONETTVS, CAMERARIVS.

DVBITATIO quædam adhuc penes me inexplicabilis manet, cur prędestinatio, non autem prouidentia, id quod ante tempus factum est, dicatur. CAM. Prouidētia Dei omnia perpetuò facit:† verũ quia prouidentiæ officium est, ordinem respicere vniuscuiusque boni ad quemlibet finem, illorũ etiam quæ prædestinata non sunt, vtpote irrationalium, quæ largo modo, nō autem isto prędestinata dicuntur†, & multa complectitur quæ per speculationem dũtaxat considerantur:† multa quoque quæ in hominibus aliter quàm prædestinando Deus prouidet. hinc tametsi ipsa prouidentia sit, quæ in gloriam electos prædestinat, ipsam prædestinationem tanquam partē subiectiuam in se continens:† ipsi tamen prædestinationi quædam quę iamiam enarraturus sum,† propterea tribuuntur, quasi speciale eius officium sit, transmittendi creaturam in vitam æternam.† Hoc memorię commenda Simonette, ne cum illis erres, qui dicunt vtranque Dei volũtatem, cùm voluit antè peccatũ, & post peccatum Adami, omnes saluos fieri, ex ordine prædestinationis fuisse, quod quidem falsum ea ratione est, quia prędestinatio quæ vt finem suum habeat necesse est, omnes ad salutem perduxisset†: quod quidem factum non est. Vnde fit vt ex prouidentia isthæc fuerint, quæ, si ex parte Dei certa est† facto

†pª.q.22.a. 2.c.

†pº.di. 40. q. 1.a. 2. c. veri.1.q.6. 1.c.

†vt.suprà.

†pª.q.23.a. 2.c.6.c.8.c.

†Infrà c.2.

†Tho.pª.q. 23.a.1.c.2.c

† Aug. de ciuit. Dei lib.18. c.51. de do. Christia.lib.3.c. 34.

† pª.q.22.a 4.2m.3m.

Prouidentia Dei, quæ prædestinationē tanquã partem subiectiuã in se cõtinet, ipsa prædestinat.

Quæ ex ordine prouidētiæ, quæue ex ordine prædestinationis sint.

hominis potuit frustrari, & in sola speculatione cõsistere†. SIM. Vnde hanc differentiã hauris? CAM. Paulò antè vidisti, ipsam prouidentiam modò prędestinationem, modo verò reprobationẽ propterea dici, quia partes subiectiuę ipsius prouidẽtiæ hęc sunt. SIM. Cur subiectiuas partes eas esse dicis? CA. Ad differentiam partis integralis, vt vocant. SIM. In quo ista differunt? CAM. Sicut vox ista, animal, equum, bouem, hominem, tanquam partes subiectiuas sub se continet: homo verò, brachium, manum, vel pedem, tãquam partes integrales: sic Dei prouidentia quę ad multa se habet, prædestinationem tanquam partem subiectiuam complectitur. Hæc omnia ita se habere Thomæ authoritate probantur, cùm inter ea quæ ex ordine prouidentiæ, & ea quæ ex ordine prædestinationis sunt, distinguit.† SIM. Perpetuò igitur ipsa prouidentia dum de hominis salute agit, prædestinationem connexã habet. CAM. Quinque à nobis consideranda sunt.

† p°. dis. 40. q. 1. 2. c.

† p°. dis. 40. q. 1. a. 2. c.

1 Dei prouidentia, quæ hominem natura impeccabilem creare potest, sed non creat.

2 Dei prouidentia, quæ hominẽ principiò rectũ facit, potestatémque ei tribuit vt à iustitia excidere posśit.

3 Dei prouidentia, quæ post Adami peccatum, homines consentientes, & vsque in finem perseuerãtes, per Christum saluare vult.

4 Dei prouidentia, quæ præscientiam omnium futurorum habens, pręscit Petrum salutem velle, Iudam verò eam nolle.

5 Dei prouidentia, quæ Petrum volentem prædestinat, Iudam verò reprobat.

SIM. Progredere. CAM. Hæc si rectè expenderis, paucis concludes, primo modo, nunquam ipsam Dei sapientiam, hominem, præter vnũ Christum à Verbo assumptum, natura sanctum creasse: vel aliquẽ cum Maria pręseruasse: quandoquidem scriptũ est, Deus mundando non facit innocentẽ†. Secundo autem modo, Adamum & Euam fecisse, quorũ salutem, atque omniũ qui in Adami lumbis virtute continebantur voluit, si sponte à iustitia in qua erat, nõ excidisset. Tertium verò modũ eam ob causam proposui, vt intelligere posses, hãc Dei prouidentiã, non ea volũtate omnes saluos fieri voluisse, vt ipsa Dei potentia sicut volũtas ad vnũ determinata, sub ipsa prouidẽtia contineatur: immò potius vt Petrũ saluare velit, si Petrus saluus esse velit, iuxta illud Augustini, Qui fecit te sine te, nõ saluabit te sine te†. Hoc enim modo loqui ea ratione cogimur, ne aliter intelligẽdo, cùm audimus, Deus vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire†, nec veniunt, eius voluntatem ex defectu potentiæ frustrari dicamus: & prophetam dicentem, Deus quæcunque voluit fecit in cœlo & in

†*Nahũ.p°.*

†*De verb. apost. serm.* 15.

†1. *ad Tim.* 2.

terra†, mendacij arguamus. Voluit namque Deus humanam prouidētiam ſuis gratiis concomitatam, diuinæ prouidentiæ coniungi, neque aliter hominem ſaluari: & hoc quidem multis ex cauſis, quas ſuo loco dicemus†. Quarto, prouidentia ipſa, coniuncta præſcientia omnium futurorum in ſpecie conſiderari poterit, quæ prouidentiam ſequens, ſic prædeſtinationem origine præcedat, ſicut Paulus teſtatur, cùm inquit: Quos præſciuit, & prædeſtinauit†. Tunc enim præſcientia quæ voluntatem Petri acceſſuram voluntati Dei cognoſcit, efficit vt Deus verax, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ †, exitum ordinis voluntatis conſpiciens, ſua prouidentia gratias ad id neceſſarias, atque opera in quibus Petrus ambulaturus eſt, præparet, hoc eſt, ſuo tempore conferre in eius mente proponat. Quibus iam vides non ſemper ipſam Dei prouidentiam actu tanquam partē ſubiectiuam, ipſam prædeſtinationem continere: ſed poſt omnium præſcientiā cum propoſito, quo tēpore iam prædeſtinat.† SIM. Quo authore loqueris? CAM. Hæc omnia Paulus perſpicuè docet, cùm ait, Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus†. & alio in loco, Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam†. Sic enim ipſa prouidentia prædeſtinat, & id agit quod præſciendo, non ſimpliciter, ſed cum propoſito prædeſtinandi, facere cogi-

Dei propoſitum.

† *Pſal.* 113.

† *Infrà in Caluino, c.* 3. § 1.

† *Rom.* 8. *et dicemus infrà latius c.* 5

† *Ephe.* 1.

† *De bono. perſe. c.* 18.

† *Ephe.* 2.

† *Rom.* 9.

tauit: nempe prædeſtinare Petrum, & alios qui ſal-
† Ephe. 1. ui eſſe volumus, vt ſimus in laudem gloriæ eius†.
» SIM. Voluntatem itaque Dei ſub diuerſis qualita-
» tibus, in vna eadémque prædeſtinatione conſide- *Dei volun-*
» ras? CAM. Cur non? Nam ſua prouidentia princi- *tas ſub di-*
» piò omnes ſaluos fieri voluit. cùm verò prædeſti- *uerſis qua-*
» nauit, illos elegit quos ſalutem velle præſciuit. SIM. *litatibus.*
» Quis hanc differentiam inuenit? CAM. Auguſti-
† Infrà. c. 9 nus in locis quos cito†: quem Thomas ſequitur in
† pº. diſ. 40 libro ſententiarum†. SIM. Poteras ſemel loquen-
q. 1. a. 2. c. do hæc omnia in exordio capitis iſtius explicare.
vide. inf. CAM. De induſtria paulatim his paragraphis om-
c. 4. & 5. nia explanare volui, vt quæ ſimul confuſionem parerent, ſeorſum enucleata commodius intelligi poſsint. Eundémque ordinem vſque in finem libri ſeruabo, donec omnia minutatim rectè explicata, ad elucidationẽ iſtius concluſionis quam diſputaturus ſum, gradatim tendant. SIM. Arriderẽt certè iſta, ſi tu aliquo ſcripturæ teſtimonio oſtẽderes, Deũ *Prouidentia ſola.* in finibus prouidentiæ aliquãdo ſubſtitiſſe. CAM. Nónne hanc prouidentiam Deus oſtendit, cùm
† Eccle. 7. Adamum rectum in iuſtitia creauit†, vt ipſe, & omnes qui in lumbis eius erãt, iuſtitia comite in horto
† Gen. 2. paradiſi operarentur, itáque Deo fruerentur:† &
vide Aug. tamen peccato Adami hæc prouidentia hunc fi-
de gene. ad nem non habuit, & in ſola ſpeculatione perman-
lit. c. 8. ſit. Rurſum nónne cùm Ieſum miſit in mundũ, vt omne quod perierat ſaluaret, quod & fecit, quantũ ad ipſum ſpectabat: ſed pauci ſalui propterea facti

ſunt, quia pauci fide quæ per charitatem operatur, Chriſto coniungi voluerunt†. hæc enim, inter voluntatem Dei in genere ſua prouidentia omnium ſalutem volentis, & voluntatem in ſpecie electos prædeſtinantis, quantum interſit, ſatis perſpicuè docent: & quàm neceſſarium ſit, gradus quoſdam ſatis diuerſos in ipſo prædeſtinationis opere contemplari, quemadmodum diximus. † *Aug. ibi.*

CAPVT SECVNDVM.

Prædeſtinationis definitio.

SIMONETTVS. CAMERARIVS.

QVAM tu definitionem prædeſtinationis ſequeris? CAM. Quanquam diuerſis modis illam Theologi noſtri definiant, in hanc ſententiam denique concurrunt: nempe nil aliud ipſam prædeſtinationẽ, quàm

1. rationem eſſe, in mente diuina exiſtentem, tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finẽ vitæ æternæ†. Voce tranſmiſſionis vtentes, quaſi ſupra naturæ potentiam homo ipſe ad æternam gloriam per Dei propoſitum atque potentiam, bona ei præparantis, prædeſtinetur†. Vel ſecundum Auguſtinum, qui † *pa. q. 23. 1. c.* † *vt ſup.*

2. alio in loco ſic eam definiuit: Prædeſtinatio, præparatio eſt, cum præſciẽtia beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur†. quem in modum verba apoſtoli intelligere debemus, cùm ipſam præſcientiã pro prædeſtinatione † *Aug. de bo. perſ. c. 14.*

vſurpat,inquiens, Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit: vt ſimul præparando bona ſecundum propoſitum præſciēdo prædeſtinauerit : quēadmodum ſequentia verba in eodem loco declarant,cum ait,Reliqui mihi ſeptem millia virorum†.

†Ro 11. & Aug. de bo perſ. c. 18.

Vel prædeſtinationem, præordinationem Dei eſſe 3.
æternam, de his quę per gratiam facienda ſunt in tempore.†Vel adoptionem filiorum Dei eſſe,atque .4.
eorum quę ſunt ex gratia: quandoquidem prædeſtinatio ipſa,nil aliud eſt,quàm præparatio gratiæ, in præſenti tempore dandæ, & glorię in futuro†. Sic enim prædeſtinati, gratiam recipientes, gloriā expectant†. In hanc quoque ſententiam concurrūt 5.
hi quoque,qui prædeſtinationem,electionem Dei eſſe inquiunt,qua nos Deus ante mundi conſtitutionem elegit, vt eſſemus ſancti & immaculati †. Hi etiam, quibus placuit prędeſtinationem ipſam 6.
delectionem eſſe quorumdam à maſſa perditionis† & iſtiuſmodi generis reliqua, quę imaginari poterunt, modò propoſitum, præparationem , & pręſcientiam, his definitionibus perpetuò ineſſe confiteamur. Neque aliter illa definitio accipiēda erit, 7.
prædeſtinationem Dei , ſegregationem eſſe : non illam qua in die iudicii bonos à malis,ſecundū pręcedentia merita ſegregabit: ſed illam ſegregationē, qua nullis præcedentibus meritis, ab æterno vaſa ſuæ miſericordiæ à maſſa perditionis, vt diximus, ſegregauit : cuius Apoſtolus meminit, cùm dixit: Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat†. Vel

†3. q. 24. a. 1. c. Aug. de præde. ſanc. c. 10.
†1. q. 23. ar. 2. argu. 4. Augu. de præde. ſan. c. 10.
† vt ſup. arg. 3. pm.
†Rom. 8. Ephe. po. & 2o.
†Paulò antè dixi.
†Rom. 9.

ſi paucis prædeſtinationem cum Damaſceno definire volueris, dic prędeſtinationem eorũ eſſe quæ in nobis non ſunt. SIM. Pauca verba, ſed confuſa ſatis. CAM. Hoc in ſumma dicere voluit, prędeſtinationem ab ęterno factam, ipſam quoque naturam præcedere, ac ea nobis prępararе quę in nobis non erant: eò quòd æternitas naturam antecedit, natura gratiam, gratia gloriam: quæ omnia nõ in nobis, ſed Deo præſentia erant, propter ipſam ſcientiæ ſubſtantiam, quæ vita eſt. Hæc ſana ſentẽtia eſt, à qua diſcedere nobis Catholicis non licet: » dum tamẽ ſciamus, haudquaquam per hęc nomi- » na, aliqua accidentia in Deo ſignificari, quorum » vnum primum, alterum verò poſterius ſit: ſed po- » tius vt ipſa diuina ſubſtantia ſignificetur (cui om- » nia præſentia ſunt) præſciens, prædeſtinans, pro- » ponens aut decernens, quę tum per ſe, tum per » cauſam cooperantẽ, hunc tandẽ producat effectũ. »

Neque aliquod accidens ĩ Deo eſt, neque tempus, neque aliquid velle vel operari incipit, ſed omnia æterna in eius ſubſtãtia ſunt.

CAPVT TERTIVM.

Quod Ambroſii propoſitum in hac prædeſtinationis diſputatione, quódve Auguſtini, inter ſe diuerſa fuerint, hoc loco oſtenditur.

CAMERARIVS. SIMONETTVS.

CONFLICTATIONEM illam diuturnã aliquando audiſti, eorum qui Ambroſium ſequentes, palàm aſſerunt, Deũ ab æterno homines propter pręuiſa opera bona, ſeu demerita, vel prędeſtinaſſe, vel reprobaſſe?

illorum item, qui Augustino placuisse contendũt, nullis inspectis futuris operibus, ab æterno suos electos quos dilexit, gratis Deum prædestinasse? SIM. Multis disputationibus interfui, in quibus dum de hac re concertarent, Augustini opinionẽ, opinioni Ambrosij, prætulerunt. CAM. Quid si hi, neque Ambrosij, neque Augustini mentem conceperint? SIM. Adeò tardos eos esse autumas? CAM. Res ipsa neque Ambrosium, neque Augustinũ eos intellexisse perspicuè docebit, qui horum patrum sententias contrarias esse censent. SIM. Perge obsecro: & quid tu sentias, in medium affer. CAM. Decebat planè illos, Ambrosij institutum principiò considerare: quod tale fuit: nempe vt Manichæis, qui liberum arbitrium prædestinationi posse coniungi negabant, apertissimis sacræ scripturæ testimoniis ostenderet, electorum prædestinationẽ, ob preuisum bonum vsum gratiarum Dei, à libero arbitrio gratia concomitato procedentem, ab æterno factam esse. Augustini verò institutũ, satis contrarium fuisse, qui è regione cum Pelagianis litem habebat, fidem ab ipsis sic initiari contendẽtibus, atque liberum arbitrium ad bonum, absque gratia, sese habere profitentibus, vt dicerent, Præsciebat Deus qui futuri essent sancti & immaculati, per liberæ voluntatis arbitrium: & ideò ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua futuros esse præsciuit, elegit. Elegit ergo antequàm essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos immacu-

Ambrosii propositum contra Manichæos.

Augustini propositũ diuersum cõtra Pelagianos.

Pelagianorũ opinio.

latósque præsciuit: vtique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse prẹuidit†. vnde prædestinationem inspectis nostris meritis à Deo, ante tempora secularia fuisse factam contendebant: quibus contrariũ Augustinus ostendere conatur, quippe nullis operibus nostris inspectis, tanquam meritum condignum prædestinationis, Deum ab æterno electos gratis prædestinasse †: non quia futuri erant sancti, sed potius vt essent sancti. Hinc planè factum est, vt multi in hunc scopulum impegerint, non animaduertentes, quòd etsi nil in Dei prouidentia contineatur, quòd secundum Augustinum eius volũtatem antecedat, præter bonitatem suam, qua mouetur, vt omnium salutem velit †, addita deinde præscientia omnium futurorum, ex ea altera causa secunda oriatur, quæ primæ additur, vnde secundum Ambrosium fit, vt prẹuisus bonus vsus gratiarum in Petro, causa secunda prædestinationis Petri fuerit: contrà verò prẹuisus malus vsus in Iuda, vt reprobaretur. itaque iustum in vtroque Dei volitũ reddi, tametsi voluntatis eius causa non sit. Interest igitur secundũ Thomã, an voluntatem vel volitum consideremus†. Opperire itaque paululum, mi Simonette Bottone, vt ea quæ Catholici iamiam different, audiẽs, hæc & alia intelligas. SIM. Neminem concertatorum hîc adesse cerno. CAM. Hîc concertationis ordo erit, vt principiò Augustinus & Ambrosius de re hac disputare suis commentariis incipiant: quibus quædã ego

† De præd. sanct. c. 18.

† Aug. vt sup. & in lib. de bon. perseu. præsertim. c. 13 & 16.

† Diximus sup. c. 1.

† p°. sen. dis 41. q. 1. a. 3. c.

Huius libri methodus.

addam, quæ cæteri qui illos sequuntur, posteà scripserunt: deinde eodem ordine Scotum pro se & omnibus disciplinis suis audiemus: & post ipsum Driedonem, Sotum, Caietanũ, atque Catherinum: vt his omnibus auditis, Protestantes in secundo dialogo auscultemus: in tertio verò Caluinum. Superest igitur, vt tacitus tu omnia auscultes, ea capiens, quæ vt capere possis Dominus dat. Reliqua verò quæ explicitè intelligere nequibis, implicitè vt credas obsecro.

CAPVT QVARTVM.

Ambrosii & Augustini disputatio, in qua principiò, an causa prædestinationis à nobis quærenda sit, tractant.

AMBROSIVS, AVGVSTINVS.

CAVSA à nobis inquirenda est, Augustine, cur Deus quosdã, antequàm homines essent, ab æterno prædestinauerit, quosdam verò reprobauerit. AVG. Quæ solicitudo inanis hæc est, vt Dei consilia, quæ incomprehensibilia sunt†, penetrare tanta cum diligentia velis? AMB. Si causam hanc nõ intellexero, quid illis respondere potero, qui ignorantia ducti, sic loqui solent: Qualiscunque ego sum, talem me Deus creauit: quæ igitur culpa mea, si non operor? Ille inæqualis prouisor: ille necessariò omnia nos agere ordinauit: ille personarum acceptator: ille redarguendus est potius quàm ego, qui malè

† Rom. 11.

viuere cogor.† AVG. Si nullam operum Dei, quæ ſub Sole fiũt, rationem Salomon inuenire potuit†: quid de his quæ ſupra ſolem, ſunt atque ęterna, dicemus? Num curioſus aliquis, quaſi cæleſtis ciuis, adeò de ſua prudentia præſumet, vt quid æternam Dei voluntatem præceſſerit, inquirat?† AMB. Quicunque à ſeipſo cauſas operum Dei ſcire laborauerit, à gloria eum opprimi, ſtultúmque reputari in via ſua, fateor†: quandoquidem omnes homines qui eorum quæ æternitatem præcedunt, ſcientiam habere optãt, nil aliud ſcire quàm nil ſcire optãt†. At minimè propterea dicemus, quin Deus ea quæ in ſe ipſo ſunt, homini reuelare perſæpe non conſueuerit. nam & ipſum prædeſtinationis ordinem, Paulo patefecit. AVG. Cùm iniquitatẽ à Deo abeſſe Paulus dicat, & ille ſit qui omnia in pondere, numero, & mẽſura agit†: quid pręter hoc quęrendũ erit? AMB. Quid ſi idcirco Deus Paulo myſteriũ hoc reuelauerit, vt ab ipſo reuelaretur nobis: nónne reuelationẽ hanc ex Pauli ore audire expediet? AVG. Prædeſtinationis cauſam in communi, Paulũ patefeciſſe non contradico: vt Deus quotquot prædeſtinauit, ad oſtendendam ſuam miſericordiam id fecerit: ſiquos verò reprobauit, vt ſuam iuſtitiam demonſtraret†. In particulari verò, quare Deus Petrum prædeſtinauerit, Iudam verò reprobauerit, nullam cauſam ipſe aſsignat, præter voluntatẽ Dei: quam ego minimè inquiram. immò hoc tibi conſulo, ne cauſam interroges quare, ſi nõ vis errare.†

† Vide in Proteſt. parte 4ª. c. 4.
† Eccls. 8. d.
† Aug. in tracta. 83. qᵘᵐ. q. 27. 28. infrà in Caluino, cap. 1.
† Prouerb. 25.
† Mag. pº. ſent. diſt. 45.
† Sap. 11.
Cauſam in cõmuni notã eſſe Auguſtinus fatetur: verũ in particulari, etſi adſit, nos ipſam ignorare ſubiũgit.
† Rom. 2.
† Aug. Io. 6.

AMB. Ille hoc mihi reuelabit, qui nõ poteſt errare. AVG. Si meum conſilium audire neglexeris, tuæ ſententiæ memor ſaltem eſto, cùm ais: Scrutetur qui poteſt tam profundum iudicium: caueat tamen præcipitium: Paulo dicente, O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſciẽtiæ, Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: Quis
† *Rom.* 11. enim cognouit ſenſum Domini?† AMB. Cùm dixi, vt is qui poteſt, hoc profundum ſcrutetur iudiciũ: non omnibus perſcrutationẽ inhibui: certus Deũ non feciſſe verbum quod non reuelauerit amicis
† *Gen.* 18. *Amos.* 3. ſuis†. AVG. Quid reuelare poterit vltra voluntatem ſuam? AMB. Iuſtitiam voliti ſui cur Petrũ elegit, Iudam verò reprobauit: ille cùm ſit, qui om-
† *Pſal* 103. nia in ſapientia facit†. AVG. Iuſtum eſſe Dei iudicium, qui æquitate occultiſsima, & ab humanis ſenſibus remotiſsima, iudicat, cùm prædeſtinat, inficias nequaquam eo: ſed nobis occultum eſſe
† *Aug. ad Simpl. lib. p°. q. 2. in lib. 83. q^um. q. 27. et 28. et de bono. perſ. c. 11.* contendo†. AMB. Non quidem conſequens hoc admittendũ erit: Tibi occultũ eſt: ergo & reliquis.

CAPITIS QVARTI. §. PRIMVS.

An futurus bonus gratiarum vſus à Deo præſcitus, tanquam cauſa ſecunda, primæ, hoc eſt bonitati Dei, quæ voluntatis ſuæ prima cauſa eſt, addendus ſit.

- Dei bonitas.
- Dei prouidentia, qua Deus vult omnes saluos fieri, quotquot salui esse volunt.
- Dei prouidentia qua ad ostendendũ eius iustitiam, inobedientes reseruat.
- Dei præscientia.

Præsciens bonũ vsum, Vnde prædestinatio.	Præsciens malũ vsum. Vnde reprobatio.

AVGVSTINVS, AMBROSIVS.

FATERIS tu Dei voluntatem causam omnium esse?† AMB. Fateor. AVG. Ergo nil creatum suæ voluntatis causa esse potest, præter bonitatem suam increatã. AMB. Quanquam causa voluntatis, ipsa bonitas est: aliud tamen in ipso Deo quæri potest, quod ad sapientiæ diuinæ, atque bonitatis pulchritudinem, dum hoc vel illud vult, ordinetur. AVG. Sola voluntas Dei, causa prædestinationis est, Paulo teste, cùm ait, Deum nos omnes prædestinasse secundum propositum voluntatis suæ†. AMB. Volũtatem Dei, primam causam prædestinationis esse fateor: cui secundam addere scriptura permittit. AVG. Quid istud? AMB. Paulò anteà vidisti, ipsam præscientiam omnium futurorum, tam in prædestinatione, quàm in reprobatione, prouidentiam origine sequi: prædestinationem verò vel reprobationem præcedere.† AVG. Perge. AMB. Causa igitur altera ab ipsa præscientia emergere potuit, ob

† De verb. Apo. ser. 2. et de Gene ad lit. c. 18. & 19.

Prima causa prædestinationis Dei voluntas est, quã sola eius bonitas antecedit.

† Ephe. 1.

† sup. c. 1. i\~ prin. et §. 1.

quam, vel prædestinauerit vel reprobauerit, quæ tamen ipsam Dei voluntatem minimè præcedat, sed sequatur. AVG. Prædestinatio ergo haudquaquam gratis, sed secundum debitũ facta fuit. AMB Absit. AVG. Quam tu causam secundam poteris addere, quæ hoc non efficiat? AMB. Voluntati Dei, qui sua prouidentia omnes in genere saluare vult, & pro causa antecedente, suam bonitatem habet, quæ ex facto hominis vel impediri vel suum finem habere poterat, † tanquam causa secunda sequẽs, bonus vsus gratiæ preuisus, addi debet. AVG. Aut causa hæc, tam prædestinationem, quàm reprobationem sequitur, aut non. Si ipsam sequitur, causam condignam reprobationis è medio aufers: & congruum iustúmque volitum, nec in electo facis: quando isthęc, quę prædestinationẽ iam factam sequuntur, nil ei addere possunt. AMB. Vtrumque Dei prouidentiam sequitur, prædestinationẽ verò præcedit. AVG. Quẽ in modũ? AMB. Si prouidentiæ Dei qua omnes saluos fieri voluit, præscientiã addideris omniũ futurorũ, quę sequax prouidẽtię fuit, hãc pręscientiã effecisse cognosces, vt quoddã cõgruũ iustúmq; volitũ ex ea emergeret, quo Petrũ, quẽ in specie obauditurũ præsciuit, deinde prædestinaret. Itidẽ & condigne Iudam non obauditurũ
» reprobaret. AVG. Quam prouidentiam reprobantem, hoc condignum volitum sequitur? AMB. Illã
» prouidentiam, qua pręuidens Deus omnes saluos
» non fore, sicut pręordinauerat, partem ad ostendẽ-

Secunda causa à præsciẽtia Dei proueniens primæ causæ voluntatis Dei addita.

† *vt dixi sup. c. pº. §. 4. et īf. c. 8.*

„ dendũ eius iustitiã reseruauit, quos in specie præ-
„ sciens non obaudituros, deinde reprobauit. ecce q̃
„ apertè ostendi, tã congruũ in electo, quàm condi-
„ gnũ in reprobato, prouidentiã sequi, prędestinatio-
„ nem vel reprobationẽ verò præcedere. AVG. Quid Paulo respondebis, cùm inquit [Collabora euãgelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit, vocatione sua sancta: non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia: manifestata est autem nunc per apparitionem saluatoris nostri Iesu Christi†.] AMB. Hoc modo electos Dei prædestitatos esse fateor. AVG. Ergo non secundũ bonum vsum præuisum, quemadmodum tu Pelagianis subscribens tenes. AMB. Pauca ego à te requiram, antequàm meam doctrinam proponam, vt tu deinde me audito, an Pelagianus sim, maturo consilio iudicare possis. AVG. Perge. AMB. Ais tu Christum secundum modum prędestinationis eius, ab ęterno esse prædestinatũ?† AVG. Aio. AMB. Christum esse caput totius corporis mistici Ecclesiæ Dei, fontémque gratiæ, quę sese in cuncta eius membra diffundat?† AVG. Aio. AMB. Hunc ipsum Iesum Christum sic prædestinatum, causam esse propter quam omnes homines prædestinati prædestinantur?† AVG. Aio. AMB. Censes præterea paruulos in meritis Iesu Christi, & fide gestantis, immò & Ecclesiæ pro eo credentis ac pœnitentis, per Christum iustificari?† AVG.

Ambrosii Doctrina.

† 2. *Timo.* 1.

† *Rom.* 1.

† *Ephe.* 4.

† *Ephes.* 1. *et Tho.* 3. *q.* 24. 3. 4. *o.*

† *Tho.* 3. *par q.* 68. *a.* 9. *o.* & *q.* 69.

Censeo. AMB. Fateris item, æternam gloriam secundum merita quoque operum præcedentiũ cum gratia cooperatorum dari?† AVG. Fateor. AMB. Ais denique ipsam Dei prouidentiam qua homines prędestinat, ipsam prædestinationem tanquam partem subiectiuam continere? AVG. Aio.† AMB. Cùm hæc ita se habere fatearis, hanc doctrinam, quare hic prædestinatus fuerit, non item ille, propono: nempe vt si quæratur quæ causa prædestinationis paruulorum sit? respondeamus, Dei voluntatem esse, quæ præsciens ea quæ à me paulò antè dicta sunt, in paruulis baptizandis fore, illos ab æterno gratis prædestinauit. Secundo verò loco si roges, quid in adulto, qui ante mortem operari nequiuit? (Exempli gratia si hominem adultum lauacrum exeuntem occidi fingamus) id ipsum respõdebo: ita vt in nullo à puero in hoc differat, præterquàm, quod ipse id agat, quod gestans & Ecclesia pro ipso puero credendo & pœnitendo agunt. Si verò & tertio quęras, quæ causa prædestinationis in homine adulto fuit, qui potuit operari, & gratia comite bene operatus est? Itidem respondebo, eandem voluntatem Dei fuisse, quæ pręsciẽs prædestinandum hominem bene suis gratiis vsurũ, gratis eum per Iesum Christum prędestinauit, suáque dona ab æterno præparauit. AVG. Non quidem audeo te doctũ sanctúmque magistrum meũ Pelagianum vocare: sed vereor ne terminorũ error huc te induxerit, vt propter causam quæ ab homine

† *Dicemus in protest. parte. 4. c. 1*

† *Sup. c. 1. §. 4.*

oriatur, eundem hominem à Deo prędestinari putes. Etenim si iustitia hominis est, condignum meritum proponis, nec gratis prædestinauit. si verò ipsius iustitia non est, frustrà hunc præuisum bonũ „ vsum imaginaris. AMB. Non sic loquor, quasi ab „ homine aliquid creatum, in Deum tanquã causa „ volendi, quæ eius voluntatem præcedat, referatur: „ sicut Pelagiani tenẽt †. hoc enim nemo rectè sen„ tiendo dicere potest. Atqui, vti paulò antè dixi,† „ si vltra pergens, ipsam Dei præscientiam considera„ bis, inuenies procul dubio, ipsum Deum eadem „ præscientia, qua omnia in seipso origine ante præ„ destinationem præscit,† hunc quoque bonum v„ sum gratiarum in tempore condonãdarum in ipso „ homine futurum præsciuisse: ac præsciendo, non „ propter illud, quod in Deum resultat ab homine, „ sed potius propter id quod sua præscientia videt in „ homine, per quod iam ei constat, humanam pro„ uidentiam eius diuinæ prouidẽtiæ accessurã, ipsam „ prædestinationem fecerit: itaque iustum propter „ hanc secundam causam Dei volitum reddatur,† „ quare Petrum iustitia comite prædestinauerit, ta„ metsi tota Petri prædestinatio misericordia dica„ tur†: Iudam verò ob præuisum malum vsum, dum „ vocatus vt è massa perditionis exiret, benedi„ ctionem hanc noluit, cõdignè reprobauerit. AVG. „ Perpetuò equidem palàm confessus sum, præscien„ tiam horum omnium, Deum prædestinantem ha„ bere.† Verùm vt propterea prędestinet, hoc nego.

Secunda causa, quæ primæ additur iustũ Dei volitũ reddit.

† *Aug de præd. sanc. c.18.*

† *c.1. in prĩ & §. pº.*

† *Vide inf. c.8. & 9.*

† *Tho. pº. d. 41. q.1. a.3. c.*

† *Ephes.1.*

† *Vide doctrinas Aug. inf. c. 5. & 9. aceruatas.*

AMB. Si vocem propterea, pro debito, vel condigno vel congruo vſurpas, quòd voluntatem Dei præcedat, rectè loqueris. ſi verò pro congruo, quòd voluntatem Dei ſequatur, vt iuſto volito Petrum, non autem Iudam prædeſtinauerit: cauſam hanc ſecundam primæ vniendam eſſe confirmo. AVG. Si hæc tua imaginatio vera eſt, reſponde mihi, an Liberum arbitrium aliquid ad bonum abſque gratia poſſit. AMB. Parum ad poſſe, gratia deſiſtente, Liberum arbitrium valet†. AVG. Reſponde rurſum, an gratia, effectus prædeſtinationis ſit. AMB. Omnino. AVG. Vtram mauis partẽ nunc elige: quippe, vt aut dicas diſtingui oportere inter id, quod eſt ex cauſa ſecunda, libero hominis nimirum arbitrio, & id quod eſt à cauſa prima, id eſt gratia, in bono vſu. aut gratiam, quæ eſt effectus prædeſtinationis, ſuæ cauſæ rurſum cauſam eſſe. AMB. Quantum ad primum attinet, aliud quærere eſt, an opus quod cooperatur diſtingui poſſit, in quo cauſa prima à ſecunda non diuellitur: aliud verò ordinem operis conſiderare quomodo fiat, in quo cauſa prima à ſecunda hoc modo diſtinguitur, vt quid per ſe agat vnaquęque, ſpeciatim cognoſcamus. AVG. Quo authore loqueris? AMB. Paulo, cùm iuxta editionem vulgatam, cui ſtare debemus, ſic ait: Plus omnibus laboraui, non autem ego (ſolus) ſed gratia Dei mecum. ita vt opus ſuum quoque, dum ſimul cum gratia agit, agnoſcat†. Ad hæc innumerabilia teſtimonia adducere poſſẽ,

† Diximus de gra. & lib. arb. li. pº. c. 3. et 6.

Quo modo inter id quod eſt ex cauſa prima, & ex cauſa ſecũda, diſtinguatur.

† pª. ad Cor. c. 15.

quæ in hominis & gratiæ cooperatione id ipſum teſtantur: ſed breuitatis cauſa illa omitto. † Quò verò ad ſecundũ, ſuæ cauſæ: cauſa tunc eſſet, quãdo voluntatem Dei, bonus vſus præuiſus præcederet: hic autem bonus vſus, ipſi voluntati, tanquam ſecunda cauſa ſequens additur. AVG. Omnia feram, modò Pelagianiſmus vitetur. AMB. Nil quidem nobis cum Pelagianis commune, qui propria merita, ſecundum debitum, prædeſtinationis cauſam eſſe contendebant: quaſi futura eorum fides, & opera, quæ ad gloriam ſequentem, in die iuſti iudicij Dei, cauſa meritoria erunt: per quandam fictionẽ tranſlatiuam, vt aiunt, ad tempus ante prædeſtinationem, & primam gratiam retrotrahantur. † quod nos omnino negamus. AVG. Nónne prædeſtinãdo Deus vult? AMB. Omnino. AVG. Voluntatem ergo Dei, dum prædeſtinauit, hic præuiſus bonus vſus præcedit. AMB. Conſtito de hominis futuro conſenſu, quod per præſcientiam fit, ipſa prima volũtas Dei, quę ſaluare omnes in genere vult, quoſdam in ſpecie, quos actu ſecundum propoſitum ſaluat, prædeſtinat. Sic enim prædeſtinatio pars ſubiectiua prouidẽtiæ eſt. † AVG. Aliquid ponitur quod hominis ſit, prædeſtinationem præcedens? AMB. Quotiens loquar, nil quidem ex homine ſic in Deum refertur, vt Dei voluntatem præcedat, eiúſque voluntatis cauſa ſit: ſed præſciendo deinde omnia futura, aliquid in mente eius verſatur, quod in homine futurum eſt, ipſi verò Deo præſens: quo præſcito congruum ſibi videtur, vt ſua dona abſque

† Vide in noſtro libello de grat. & lib. arb. lib. 1. c. 10.

Secũda cauſa præuiſi boni vſus gratiarum, Dei volitum iuſtũ reddit, dum ipſa Dei prouidẽtia eadẽ volũtate retenta prædeſtinat.

† Diximus ſup. c. 3.

† Sup. ca. 1. §. 4.

 August.

† Infrà c. 8.o. pœnitentia conferat†: & quòd velle in genere, ſua prouidentia cęperat, in ſpecie eadem voluntate retenta, cùm omne hominis obſtaculum è medio ſit ſublatum, re ipſa, prædeſtinando exequatur. Itaque erga eos quod præſciuit, ſuam amicitiã vſque in finem electuros, miſericordia eos prædeſtinando vtatur: in alios verò qui inimici erunt, rigore. Quòd ſi ſcholarum vocibus lucidius intelligere volueris, dicam. Ex hoc quod vidit in Petro, vult hoc quod fecit: id eſt, Petrũ in ſpecię prædeſtinauit, ſed non propter hoc quod vidit in Petro, vult hoc quod facit, hoc eſt vt ab eo quod vidit in Petro, prædeſtinandi uoluntas originem habuerit:† potius autem vt notetur cauſa in ipſo hominis facto à Deo præſcito, tanquam cauſa ſine qua non fieret.† Sobriè quidem noſtri Theologi hoc conſiderant, nẽpe vt tametſi, nil Dei voluntatem præcedat, quod regula voluntatis Dei prædeſtinantis eſſe poſsit, præter bonitatem ſuam: aliqua tamen ſequantur, quæ Dei volitum iuſtum reddant, cur quoſdam reprobet, quoſdam verò eligat.†Hoc perſæpe eam ob cauſam repetendũ eſſe duxi, vt concluſionis huius perpetuò memor ſis. AVG. Quid in reprobato? AMB. Preſcientiam Dei, vnde electionis congruum iuſtúmque volitũ emerſit, cauſam quoque condignę reprobationis fuiſſe, paulò antè dixi. AVG. Nónne mea opinio hæc eſt, qui teneo nil voluntatem Dei præcedere, quod cauſa ſuæ voluntatis ſit, quemadmodum Pelagiani tenebãt? hoc quidem perpetuò perſuadere conor, præterea nihil: itaque verba

†Tho.pª.q.19.a.5.c.in fin.

†Mag.poſt Orige.lib.pº.diſt.38.ibi.hanc igitur.

†Tho.ſent.1.diſ.41.q.1.a.3.c.pª.parte.q.19.a.5.o. Vide inf.c.8.§.pº.

mea vbique intelligi volo, quippe vt omnẽ causam humanam Dei voluntatẽ antecedentem explodã.† AMB. Tua planè opinio hæc est, sed minimè illorũ qui te sequuntur, illi namque solam voluntatem Dei, prædestinationis causam sic esse censent, vt nil præter eam, in ipsa prædestinatione quæratur. nos verò vnanimes secundam causam dudum enarratam, primæ addendam esse fatemur. † Sunt enim quidam gradus in ipso prædestinationis ordine cõsiderandi, quos latius in præfationibus explanauimus, qui si prætereantur, maximam confusionem, vt pariant necesse est.

† *De præd. sanct. c. 10.*

† *Doctrinæ Aug. infrà c. 9. aceruãtur.*

CAPITIS QVARTI. §. II.

Quorumdam qui Augustinum sequuntur contemplationes, hoc loco excludũtur, atque Ambrosii & Augustini sententiæ conciliantur.

AVGVSTINVS. AMBROSIVS. CAMERARIVS.

Si hoc modo dicamus, Deus propter prẹuisa bona opera meritoria prædestinauit: vel, Deus propter prẹuisa merita prædestinauit: nónne idem est? AMB. Exemplum à te propositum, vt proponitur, nil diuersum continet. At dicere, Propter præuisa bona opera, de congruo, tanquam ex causa secunda quæ primam sequatur, prædestinauit: vel de cõgruo, quòd Dei voluntatem antecedat, prædestinauit, valde contraria hæc duo inter se sunt. AVG. Quo

modo, futura opera bona, quæ finis prædestinationis, hoc est gloriæ, causa sunt, totius prædestinationis causa esse non possunt: eodem iste præuisus bonus vsus, gloriæ, non autem totius prædestinationis causa erit. Siquidem non valet consequens hoc, Gloria non datur nisi præcedentibus bonis operibus cooperatis ad gloriã: ergo opera quæ prędestinationem sequuntur, illiúsque effectus sunt, causa vt prædestinetur fuerũt: sed potius vt opera quæ non sunt prædestinationis causa, finis, id est gloriæ duntaxat quæ sequitur, causa sint. AMB. Nullam causam, neque condignam, neque cõgruam Dei voluntatem præcedere, palàm confirmo. Nullam præterea causam condignam, præter Dei voluntatem, quam sola Dei bonitas præcedit, totius prædestinationis esse subiungo: cui secundam causam congruam sequentem addo, sicut paulò antè dixi.† Dic, amabò, Augustine, quęnam prudens doctrina hæc iudicari poterit, vt palàm hi discipuli tui confiteantur, non dari actu primam gratiam, nisi illis quos Deus præuidit vocationi suæ consensuros †. Confiteantur quoque cooperantes homines Deum suis gratiis iuuare, atque opera ipsa ab æterno esse præparata †: insuper pro effectu gloriæ, quę supremus prædestinationis scopus sit, omnia esse præuisa†: deinde verò cùm quęrimus, an pręuisus vsus gratiarum, tanquam causa secunda, Dei voluntatem sequens, ipsi volũtati Dei qui sua prouidentia prædestinare vult, pro-

† *Sup. c. p°. in prin. & c. 4. §. 1.*

† *Ad Rom. 9. clara voce omnes.*

† *Ephe. c. 2.*

† *Tho. pᵃ. q. 23. ar. 5. c.*

pter ea quæ in hominibus præſciuit, iuſto ſuo volito Petrum prædeſtinet, Iudam verò reprobet: hoc ipſi audire nolint? Eſt ne aliquid in tota prædeſtinatione ab æterno ſecundum propoſitũ facta, quod in præmiſſis non contineatur? AVG. Sanè non. AMB. Cur igitur fruſtra aërem verberando contradicunt? Porrò quid hoc aliud eſt, vt diſcipuli tui, iuſto Dei iudicio nobis occulto Deum prædeſtinare ac reprobare prædicent: cùm verò cognoſcendi iuſtitiam hanc, aperta ratio eis oſtenditur, ab illa abhorreant? Etenim ſi nullum pro re hac authorem haberemus, tu ſolus nobis ſufficeres, cùm ais. Qui fecit te ſine te, non iuſtificat te ſine te.† AVG. De ipſa prædeſtinatione nunc loquimur. AMB. Nónne tu ille es, qui fateris nil inter gratiã & prædeſtinationem intereſſe, niſi quia prædeſtinatio eſt gratiæ pręparatio, gratia verò iam ipſa donatio: quem in modum gratia dicitur prędeſtinationis effectus?† AVG. Ita eſt. AMB. Cùm hęc ita ſe habeant, quædam nunc contemplari licebit, per quæ mea opinio ſatis perſpicua reddatur: nempe vt conſideremus infuſionem iuſtitiæ quæ gratis fit, à ſola voluntate Dei procedere, quæ nõ infunderetur, niſi Deus præſciret hominis conſenſum futurũ: & tamen ex hoc nullum hominis meritum, quod Dei voluntatem antecedat, emergit. Quòd ſi in prima gratia, res ita ſe habet, cur non in prædeſtinatione, quando hanc gratiã quam cõfert, pręparauit: cùm iſta eiuſdẽ ponderis tua quoque ſentẽtia ſint?†

† *De verb. apo. ſer. 15.*

† *De præd. ſanct. c. 10.*

† *De præd. ſanct. c. 10.*

Non quidem huic argumento respondere poteris vnquam. CAM. Hactenus sufficiat doctrinam vestram ad totius Ecclesiæ vtilitatẽ proposuisse, quam patres nostri sequuntur, nẽpe vt tu, Augustine, optimè contra Pelagianos senseris, nullũ hominis meritum vel congruum vel condignum, Dei voluntatem præcedere, quæ solam ipsius bonitatem pro antecedente causa tunc habuit. Rectè quoque & tu Ambrosi, contra Manichæos, primæ causæ bonitatis voluntatísque Dei, secundam causam præuisi boni vsus, quę ipsam Dei volũtatẽ subsequitur, vniendam esse dixisti: vt quemadmodum bonitati suæ congruebat, qui omnium futurorum præscientiam habet, hoc modo electos suos quos suis gratiis bene vsuros præsciuit, misericorditer sua prouidentia, quę tanquã partem subiectiuam, ipsam prædestinationem in se continet, & prædestinauerit: eos verò qui malè vsuri erant, iustitia comite reprobauerit. Sic enim Dei volitum misericordia refertum, simul & iustum esse intelligimus, cur Petrum, non autem Iudam prædestinauerit. *Cõciliatio.*

CAPVT QVINTVM.

Scoti & Camerarij disputatio, de præscientia Dei.

SCOTVS, CAMERARIVS.

DATVR NE mihi locus proponẽdi argumentum vnum? CAM. Tua, tuorúmque argumenta omnia audire mihi periucundum erit, modò discipulos tuos admoneas, ne propterea quia tibi aduersor,

magis acclamationibus atque cachinnis te potius quàm veritatem defendere velint. SCO. Silere eos iubes? CAM. Non id quæro, immò potius, vt vel ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, vel patrum noſtrorum authoritate, vel dilucida ratione, omnia quæ minus rectè dixero, corrigant. SCO. Licebit igitur omnium ſententias, qui meam doctrinam ſequuntur, quaſi meæ ſint, in medium afferre. CAM. Planè omnes. SCOT. Vnuſquiſque ordinatè agens, cùm vult aliquem conſequi finem, & ea quæ ordinata ſunt ad finem, propterea prius vult finem, quia propter finem ea vult quæ ordinata ſunt ad finem, nónne? † CAM. Perge. SCO. Beatitudo autem perfecta, finis prædeſtinationis eſt: ergo neceſſum eſt, vt prius hanc beatitudinē predeſtinando Deus velit, quàm cætera ad beatitudinem ordinata. quid reſpondes? CAM. Cùm Deus ſua æterna prouidentia, omnes homines in gloriam præordinauit: quãquam ex parte ſua prius cõſiderauerit finem, quàm gratias quas præparauit: tamen ex parte hominis, cui neque gloriam, neque gratias erat daturus, ſi ipſe eas nollet, ſimul hominis conſenſum futurum conſiderauit, & finem. Sic enim non ſemper finem abſque mediis ad finem volumus, quemadmodum paulò antè Ambroſius Auguſtino oſtendit †. SCO. Si vno actu vellet finem, & ea quæ ſunt ad finem, idem ſui ipſius cauſa eſſet. CAM. Thomæ argumentum, hoc eſt, qui hunc in modum illud ſoluit: quippe vt Deus hoc eſſe velit propter hoc, non

Pm. argumentum.

† *Sco. po. ſent. diſ.* 41

† *ſuprà. c.* 4 §. 1.

† pᵃ. q. 19. a. 5. c. autem quòd propter hoc velit hoc†. SCO. Nostri vt hanc cauillationem excludant, aliud esse respõdent, Deum actu non dare gloriam, nisi præcedentibus operibus meritoriis: aliud verò ordinare ab æterno aliquem ad gloriam: siquidem tunc, prius præmium dare intendit, deinde verò merita: tametsi actu non conferre præmium determinet, nisi gratiam habeat, & opera bona. CAM. Vnde hanc Chimæram hauriunt? SCO. Finge, inquiunt, principem aliquot homines ita eligere, vt tunc nulla habeatur consideratio operum exhibendorũ, quos tamen actu in familiam non adscisceret, nisi prius alicui rei exercendæ destinarentur. CAM. O bellum exemplum Leucheto dignum! Quis enim ferat, exemplo hoc domini & aulici, in quo nihil in mente domini eligentis principiò adest, prædestinationem declarari, quæ omnia in Dei mente simul manere præsupponit? Nouúsne Dei consiliarius iste est, qui sciat, aliter Deum velle actu dare, quàm ab æterno ordinauerit dare? Num Deus mutabilis, sicut ipsum faciunt, si aliter ab æterno ordinaret, quàm actu dat? Nónne prædestinatio tota sic definitur, vt electio secundum Dei propositum sit, ab æterno facta, eorum quæ præstanda sunt in tempore?† Quo fit vt eundem ordinem intus habeat (vt his vocibus scholæ vtar) cùm prædestinatio ipsa sit, quem extrà habitura est in tempore, Paulo teste, cùm ait, Prædestinationem ante tempora secularia factam, manifestatam esse in

Secundum Leucheti argumentũ

† Suprà. c. 2

tēmpore†. SCO. Demus tam argumentum meum, quàm exemplum hoc Leucheti, ineptū fuisse: num propterea ſequitur præſcientiam futuri boni vſus ipſam prædeſtinationem præcedere? CAM. Paulū authorem pro hoc habeo, qui hunc ordinem ſatis apertum oſtendit, cùm dixit: Quos præſciuit, & prædeſtinauit†. Præuiſum autem bonum vſum à præſcientia prouenire iam porbatū eſt. SCO. Paulus materiā prædeſtinationis, ex qua conſtet, potius quàm ordinē oſtendit. CAM. Cur nō ambo ſimul? vel ſi alterum duorū oſtendere voluit, ordinē ipſum potius oſtēderit? SCO. multos ſenſus, his verbis Pauli applicāt. CAM. Reiiciendi omnes ſunt, præter illū quē Ambroſius ſequitur. SCO. Incipiam igitur ego ſenſus illos recenſere, vt deinde quicquid occurrerit reſpondeas. CAM. Poteris non ſolum ea in medium afferre quæ tu ſcripſiſti, verùm etiam cætera quæ alij orthodoxi authores ſentiunt, etſi doctrinam tuam non ſequantur: ne de hac re, ſæpius loquamur. SCO. Placet quibuſdam, ſicut noſti, vt coniunctio illa, &, ſic præſcientiam cum prædeſtinatione copulet, vt altera alteram non præcedat: quādoquidem omnia ipſi Deo præſentia ſunt. CAM. Hallucinari pergunt. SCO. Quapropter? CAM. Quoniam tu quoque in his quæ ſimul manent, realiter origine vnum alterū præcedere fateris: & cùm ordo literæ apertè oſtendat præſciētiā præcedere, quanquam ſimul ſtent, præſcientia origine præcedere debet. Hoc enim intuēs Auguſtinus perpetuò

† 2. ad Tim. 1.

† Rom. 8.

præſcientiam ipſam prædeſtinationem præcedere fatetur, addens præſcientiã, ſine prædeſtinatione eſſe non poſſe, ſed præſcientiam abſque prædeſtinatione ſtare poſſe†: Cui Thomas ſubſcribit, verba illa Hieremiæ obſeruans, Priuſquam te formaui in vtero, noui te†. SCOT. Alij dicunt quodam ordine, non autem tanquam cauſam, ipſam præſcientiam prædeſtinationem præcedere. CAME. Si illos quos præſciuit conformes fieri imagini filij ſui, illos prædeſtinauit: & quos prædeſtinauit, vocauit: eo modo præſcientia cauſa & ordo ſimul erit, ſicut prædeſtinatio cauſa & ordo vocationis eſt, quemadmodum Paulus obſeruat†. SCO. Reſpondent illi, minimè Deum hoc modo præſciuiſſe, ſcilicet vt conformes fierent imagini filij ſui: ſed prædeſtinaſſe conformes fieri imagini filij ſui. CAM. Nemo quidem hoc inficias ibit vnquam: ne Pelagianis ſubſcribat, quibus placuit hominis ſanctitatem, quam ipſe non daret, Deum præſciuiſſe. Atqui id quod ipſe facturus erat hominis conſenſu accedente præſciuit: ne dicamus aliter prædeſtinaſſe quàm præſciuit. SCO. Vis manu tangere ipſam præſcientiam prædeſtinationem non præcedere? Pauli verba pondera, qui etſi in cæteris quæ in capite octauo ad Romanos in ipſa prædeſtinatione conſiderat, hunc ordinem loquendo ſeruet: Quos prædeſtinauit, hos vocauit: tamen cùm de pręſciẽtia & prędeſtinatione loquitur, vt hoc quod iam dixi oſtenderet, ſimul illa duo alio ordine

† *De præd. ſanct c.*10.
† *Tho. Ro.* 8 *lect.* 6. *ex Hier.* 1.
† *Rom.* 8.

coniungit, dicens, Quos præſciuit & prædeſtinauit: quaſi hæ res ſic coniunctæ ſint, vt altera poſita, alteram confeſtim ſequi ſit neceſſe. CAM. Nullibi apertius id quod ego contendo, videmus: quãdo, ſi ſimul ſicuti dicis coniunctæ manent: origine tamen, his Pauli verbis, præſcientiam prædeſtinationem pręcedere, apertè videmus. Non quidem ita dixit: Quos prædeſtinauit, præſciuit: ſed quos præſciuit, prędeſtinauit. SCO. Quid ſi primo modo locutus fuiſſet? CAM. Idem dixiſſet: verùm vt ordinem prędeſtinationis oſtenderet, de quo Paulus agit, aliter dixit. SCO. Adſunt aliqui, qui mediam viam hac in re inuenerunt, nempe vt in genere obiecti, & quaſi cauſæ finalis, prius Deus ipſe iudicet bonum eſſe Petrum beare, quàm Petrum prædeſtinet. In genere autẽ cauſæ efficientis, prius natura ipſa prædeſtinatio ſit, quàm certũ hos forè beandos. CAM. Non quidem, mea ſententia, ordinem prædeſtinationis hi intelligunt, ſed nouum neſcio quem modum prædeſtinationis ſomniant, Bonũ planè eſſe, omnes homines in genere beare, ipſius prouidentiæ officium eſſe legimus: Petrum item in ſpecie beari, non niſi ex ordine præſcientię ſciri poſſe. quem ſi deinde prædeſtinat, hoc Ambroſij opinionẽ illuſtrat, quãdoquidẽ præſciẽtia in cauſa eſt, vt prædeſtinatio ab æterno facta ſic certa ſit, vt facto hominis non fruſtretur. Satis perſpicua Pauli verba ſunt: nõ oportet his ſophiſmatibus illa ſubuertere. SCO. Vocẽ pręſcientię, pro ſimplici

notitia illo loco vſurpandã eſſe, multi contendunt, qua Deus bonos & malos cognoſcit: nõ autẽ ꝓ approbationis ſciẽtia. CAM. Cùm Paulus inquit: Quos pręſciuit & prædeſtinauit, horũ ſentẽtia, reprobos quoq; quos præſciuit, in ſalutẽ prędeſtinauit. quod an ſuſtineri poſsit, tu ipſe iudica. SCO. Eorũ ſimplicẽ notitiã habere intelligo, qui ſaluãdi erãt. CAM. Nũ ab alio ſaluandi, quàm ab ipſo Deo? SCO. Nequaquam. CAM. Num Deus poſt hanc notitiam in tempore hos elegit? SCO. Nequaquam. CAM. Eorum ergo notitia erit, quos ipſe ſic præſciuit, vt eis gratiam daret: quod quidem prædeſtinare eſt.† Nam ſicut vocari ſimpliciter, & ſecundum propoſitum, duo diuerſa ſunt:† itidem præſcire ea quoque quę nõ fiunt, & pręſcire ea quæ fient, ſuper qua præſcientia propoſitum Dei fundatur, duo erunt. Hæc enim ſi rectè conſiderentur, ſatis vana contemplatio illorum redditur, qui ea quæ paulò antè narraſti, imaginantur: quandoquidem Paulus adeò hunc ordinem intuitus fuit, vt non ſolum diceret, Quos præſciuit, & prædeſtinauit †: verùm etiam integram prædeſtinationem, ſolius præſcientiæ voce ſignificari dixit, cùm ait: Non repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit†. quaſi perpetuò quos hoc modo præſciuit, & prædeſtinauit†. Hoc certè manu tanges, ſi omnes definitiones prædeſtinationis quas paulò antè aceruaui† rectè ponderabis. ſiquidem in præſcientia Dei cum propoſito, omnis vis prædeſtinationis conſiſtit. SCO. Non defuere

† *Aug. de bono. perſe. c. 17. ibi. An fortè.* *Mag. ſen. 1. diſt. 38. ibi. hãc igitur.*

† *Aug. de præd. ſanc. c. 3. & 16. de bo. perſ. c 13.*

† *Rom. 8.*

† *Rom. 11.*

† *Aug, de bon. perſeu. c. 18. ibi. Non repulit.*

† *Sup. c. 2.*

Vocare ſimpliciter, et vocare ſecũdum propoſitum.

Voce præſcientiæ ipſa prædeſtinatio cõplectitur.

qui Augustini authoritate dixerint, præscientiã illorum dũtaxat esse, quę Deus solus operaturus sit.† CAM. Verba Augustini pro illis in medium prome. SCO. Sic ille ait, Sine enim dubio præsciuit, si prædestinauit: sed prædestinasse hoc est, præscisse quod fuerit ipse facturus.† CAM. Non tamẽ Deum ignorare dicit consensum, quem homo suis gratiis erat præstaturus. hoc enim aperto ore paulò antè confessus fuerat, cùm dixit: Non autem promisit fidem gentium, quam sibi homines faciunt: sed vt promitteret quod ipse faceret, præsciuit homines esse facturos.† Hoc enim modo rectè Augustinus dicit, prædestinãdo hoc sciuisse, quod ipse erat facturus, nimirum vt gratias Petro daret, quas præparabat: quem illas accepturum simul præsciuit.† Augustinum audite, dum has nænias sub doctrinę Augustini pallio, defendere conamini: qui cùm fratres suos malè de ipsa prædestinatione sanctorũ sentire audiuisset, his verbis eos correxit: In hac sententia fratres nostros esse nunc video, quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curauerũt proficere mecum. SCO. Quid istud? CAM. Tuos discipulos admonet, vt rectè ipsum intelligant, antequàm eius doctrinam in medium proferant. SCO. Sit ita. CAM. Augustinum igitur legant, cùm alio in loco sic ait: Nam si voluisset (supple, quod potest solus agere) ex indeuotis fecisset deuotos†. bellè ostendens, Deum hominis cõsensum exigere, antequàm prædestinet, sicut alio in loco se ipsum

† *De bono. perse. c. 18. & de præ. sanct. c. 10.*

† *De bono. perse. c. 18. ibi, Non repulit Deus.*

† *De præd. sanct. c. 10.*

† *Amb. ad Rom. 9. & August. de præd. sanc. c. 10. & in locis quos inf. in c. 9. aceruabo.*

† *De bono. pers. c. 19.*

declarat, cùm ait, Non id quod factũ iustè est damnari: sed frustra nihil propterea Deum velle intelligas, ob hominis consensum, quem præstare non vult†. ad quem modũ illa quoque Augustini verba intelligenda sunt, quæ paulò pòst subiungit: Deus quos dignatur vocat, & quem vult, religiosum facit†. supple tu, si ipse homo velit, ne inuitum religiosum faciat. Cogita ergo, optime Scote, Pelagianis Augustinũ in illis doctrinis, in quibus præuisionem operum negat, respondere: qui meritum prædestinationis, ab ipsis incipere contendebant: hoc quidem in toto libro de bono perseuerentiæ tractat, præsertim ca. 17. vbi hoc initium sic damnauit, vt cum Esdra rectè dicamus: In hoc enim annunciabitur iustitia tua & bonitas tua domine, cùm misertus fueris eius, qui non habet substantiam bonorum operum†. SCO. Obseruanda certè hęc verba contra Pelagianos sunt. CAM. Simul & contra discipulos tuos. SCO. Quapropter? CAM. Audi iustitia tua, vt discas iustitiam & bonitatem in ipsa prædestinatione complecti: vti Augustinus vbique docet†. SCO. Minime hoc ipsi negant, sed nobis occultam hanc iustitiam esse addunt. CAM. Quod aliis occultum est, ex ore Ambrosij, Augustini, atque omnium patrum, tam Græcorum quàm Latinorũ audimus†. SCO. Nónne se hoc ignorare Augustinus palã vbique confitetur? CAM. Causam condignam se ignorare dicit, tametsi iustitia comite, Deum prædestinare fateatur, quæ sibi nota

† *Ad Simp lib. 1. q. 2.*

† *De bono. perse. c. 19.*

† *Esd. 4. c. 8.*

† *Præsertĩ de bon. pers. c. 13. ibi, Vnde satis.*

† *Lege in c. 6. vbi doctores numerantur.*

non est†. Quo autē ad hunc congruū motum volūtati eius accedentē, Augustinus Ambrosio multis in locis subscribit, quos in disputatione cū Caietano habēda, coaceruabo†. Ecce, Driedo, hic adest. ipsum audiamus. SCO. Multa adhuc supersunt, de quibus tecum libenter disputare percupio. CAM. Aptiore loco id agam, †in multis quæ rectè dixisti tibi subscribens, tametsi aliqua respuere cogar.†

† Augu. de bo. perse. c. 14. in fi.

† Infrà. c. 9

† Infrà c. 8. et 9. et in Protestāte parte 2a. o. & parte. 3. c. 1.

CAPVT SEXTVM.

Capitis noni ad Romanos enucleatio.

DRIEDO, CAMERARIVS.

QVI sermones hi sunt, quos me neglecto confertis inter vos? CAME. Opportunè quidem aduenisti, Driedo: Prædestinationis quæstionem tractamus, multis vigiliis laboribúsque à te fusissimè disputatā. Poteris igitur, quid sentias, tu quoque in medium adferre. DRI. Nemo prædestinationis quæstionem rectè explicare poterit, qui prius sensum Pauli in epistola ad Romanos, ad radices vsque non penetrauerit. CAM. Quanquam multis placet, Paulum ex instituto illo in loco de prædestinatione egisse, illis tamen ego subscribo, qui incidenter eam Paulum tractasse censent: quemadmodum finis epistolæ ostendit, vbi populum gentilem cōmendat, qui fide iustificari credidit: populum verò Israëliticum corripit, qui ex legis operibus iustitiā quærebat: quod Pauli propositum in illa epistola

erat, non autem prædestinationis quæstionem explanare. DRI. Quoquo modo factũ sit, sententias quas Paulus disserit, ab ouo (quod aiunt) intelligere eos oportere autumo, qui de prędestinatione disputare volunt. CAM. Paucis cur Paulus de prædestinatione egerit, simul & contextus verba explicabo. DRI. Perge. CAM. Incipit principiò Paulus, in capite illo, oratoris optimi more, beneuolentiam ab Israëlitis captare, inquiens [Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimoniũ mihi perhibente conscientia mea in spiritusancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo.] Quid causæ ô Paule? [Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundũ carnẽ, qui sunt Israëlitę.] Obserua verbum, optabam, quasi non illo tempore quo loquebatur, sed quando in cæcitate eadẽ cum Israëlitis permanebat, optauerit: quo tempore anathema esse à Christo sic toto corde Paulus optabat, sicut cæteri Israëlitæ, quotquot cum eo non conuertebantur. DRI. Placet multis, in statu iustitiæ Paulũ hæc uerba dixisse: pro quo, Moysis exemplum citant, cùm dixit: Aut dele me de libro vitæ, aut his noxam dimitte†. CAM. Minimè, opto, Paulus dixit, sed optabam: sciens, quando voluit, presenti quoque tempore vti, sicut subdit: Pro fratribus meis, qui sunt secundum carnem, nunc. nam certus de salute propria Paulus erat, quam Deus ei reuelauit†. Neque Moyses omnino deleri de libro

Optabã anathema esse.

Aut dele me.

† *Exo.32.*

† *Rom.8.*

vitæ petiit, qui taliter deleri non poterat, ſed ad tempus, ſicut & multi, qui ex Iſraëlitis erant prædeſtinati, ad tempus deleti erant: quaſi æqualem cõditionem cum cæteris ad tempus elegerit. DRI. Vnde hoc tu hauris? CAM. Quis enim dicat, Moyſi reuelatum eſſe librum vitæ, ſéque in illo libro ſcriptum: non autem ſibi reuelatum fuerit, non poſſe prędeſtinatos ſimpliciter deleri, quod omnibus reuelatum eſt? Súnt ne hi perfectiores Chriſto, qui corpus dũtaxat pro omnium redemptione poſuit? DRI. Satis quidé vtile erit, Camerari, vt ſicuti paulò antè dixiſti ſenſim verba textus explanãdo, ſimul cur quæſtioné hãc prædeſtinationis Paulus tractauerit, intelligamus. CAM. Fidem ſeruabo, perge. DRI. Negát ne Paulus, patribus Iſraëlitis promiſſiones eſſe factas? CAM. Nequaquam: continuò nanque ſubiũgit [quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentũ, & legiſlatio, & obſequiũ, & promiſſa: quorũ patres ex quibus eſt Chriſtus ſecũdũ carnẽ, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula amẽ.] DRI. Cur igitur Paulus Hebræos arguebat? CAM. Quoniã carnalẽ ſequebãtur ſenſum, non autem animo cõcipiebant, eo modo quo ſpiritualiter quibuſdam dicta fuerant, obſeruata eſſe. pro quo ſubiungit [Non autem quod exciderit verbum Dei] patribus promiſſum, abſit. Deinde verò vt quantum inter ſpiritualem atque carnalé promiſſionem interſit, Iſraëlitis commonſtraret, addidit: [Nõ enim omnes qui ex circunciſione ſunt Iſraël,

Cauſa ob quam Paulus Iſraëlitas arguebat.

hi ſunt Iſraëlitæ] DRI. Subſiſte paululùm, Camerari: quia vetuſti codices Græci, immò Latini multi, non habent verba illa, ex circunciſione. CAM. Curioſis iſta relinquamus, qui non cogitant, de circunciſione quoque Iudæos gloriatos fuiſſe. horũque loco animaduerte, ſiue adſint, ſiue deſint verba illa, hoc hauriri abſque controuerſia ex Pauli verbis licere, neque natiuitatem ſeminis carnalis, neque circunciſionis ſignaculum carnale, obiectum promiſſionis diuinæ fuiſſe: ſed ſpirituale ſemen, atque circunciſionem ſpiritualem: quæ intuens Paulus, dixit: [Non qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij] ita vt reliqui ex ſemine dicãtur, qui tamen filij non ſint, ſupple adoptionis: quandoquidem ſeminis appellatione, non omne ſemen intelligitur, ſed ſemen ſpirituale: quemadmodum ſcriptura docet: cùm Sara à Domino illuminata, Abrahæ dixit, vt Iſmaëlem primogenitum, qui ſecundum morem Hebræorum hæres futurus fuiſſet, à domo eiiceret: Abraham verò durè hoc accepit, donec verbum Domini aduênit, qui dixit ei [In Iſaac vocabitur tibi ſemen.] vnde Paulus colligit, Abrahæ eſſe dictas promiſſiones, & ſemini eius, qui eſt Chriſtus†. ita vt tametſi plura ſemina eiuſdem Abrahæ ſint, non omnibus ſeminibus, ſed vni promiſſiones factæ ſint. At ſi quæras, cur vni? confeſtim ſubiũgit, [Non qui filij carnis] prout Iſmaël erat, [hi filij Dei] in adoptionem electi [ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine] alludens ad illud,

†*Gen.* 17. & 18.

quod latius ad Galatas capite quarto explicauit, vbi Iſmaëlem, ex ſemine Abrahæ ſecundũ carnem natum eſſe dixit, Iſaac verò ſecundum ſpiritum: quandoquidem Iſmaël ex ancilla pulchra, apta in ſua iuuentute concipere, conceptus eſt: Iſaac verò, ex promiſsione Dei, Abrahæ & Saræ facta, cui vuluam iam emortuam aperuit: quaſi per hæc myſteria, ſpirituale ſemen oſtenderit. Vnde Ambroſius rectè infert, adeò ſpiritualiter vocem ſeminis intelligendam eſſe, vt pro illis duntaxat dicta fuerit, quos præſciuit Deus, quando promiſit promiſsionem ſuam & Chriſti fidem ſuſcepturos. † ita quidem, vt non omnis qui ex ſemine Saræ futurus erat, filius adoptionis eſſet, ſed qui fidelis vſque in finem eſſet. pro quo verba Domini promittentis affert, dicens: [Promiſsionis enim verbum hoc eſt: Secundum hoc tempus veniã, & erit Saræ filius] quaſi promiſsio ad ſemen ſpirituale fidele referatur. Verum enimuero quia adhuc ſupererat, vt Iſraëlitæ dicerẽt: Demus nos idem ſemen Abrahæ in plura ſemina partiri: demus quoque ſpiritualem eſſe vocationem in ſemine vno fideli: demus item non omnes ex illo ſemine filios eſſe, ſed aliquos: & nihilominus adhuc mordicus contendemus, genti particulari huius populi promiſsiones factas eſſe: populum verò gentilem per omnia neglectũ, ob quæ, Paulus, vt hoc quoque (quod tacitè ſentiebat) è medio auferret, ad prædeſtinationem ſe conuertit: non quaſi ex propoſito de illa hîc tra-

† *Amb. hic*

Quare Paulus hoc in loco de prædeſtinatione egerit.

ctare velit, immo potius vt incidenter hac prædestinationis ratione, Iſraëlitis oſtendat, integrum populum, quando ab æterno Deus omnes vel prædeſtinauit vel reprobauit, nō ſolum præ cæteris non eſſe dilectum, verùm etiam odio illos habitos fuiſſe, atque legis opera non eſſe inſpecta, ſed fidelia duntaxat. Abraham namque, vt pater etiam Gentium eſſet, quæ in præputio erant, Deus conſtituit, ſi ſpirituales eſſent per fidem Ieſu Chriſti: quemadmodum Ioannes Baptiſta dixit, potentem eſſe Deū
†Mat.3. b. ex lapidibus filios Abrahę ſuſcitare†: ſicut fecit cor
†Ezech 11. *&* 36. carneum dando illis, qui cor lapideum habebant†: ſpiritalibus ſcilicet donis quæ illis dedit†. Per quæ
† Vide in lib. noſtro de grat. & lib. arb. lib. 2. *c.* 1. ſatis apertè vides, vnde factum ſit, vt Paulus deinde ad cōprobanda iſta, ipſam prædeſtinationē aggreſſus fuerit. nā paulò pòſt ad rem de qua agebat rediit,

CAPITIS SEXTI. §. I.

Non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau odio habui.

DRIEDO. CAMERARIVS.

EXPEDIT Camerari, ne magnum onus in explicandis omnibus ſuſtineamus, vt ſingulas Pauli ſententias, prius explanemus: deinde verò ad rem redeamus. CAM. Perge. DRI. Sic enim prima propoſitio habet [Cùm enim nondum nati fuiſſent, nec aliquid boni egiſſent, aut mali: vt ſecundum electionem

propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, [Iacob dilixi, Eſau odio habui] & tamen non ſolum fratres, ſed gemini: non modò gemini, ſed ex eodem concubitu †. CAM. Omiſsis Auguſtini diuerſis intespretationibus, quibus probare nititur, minime Eſau hominem, ſed Eſau peccatorem odio habuiſſe, ac reliquis à te coaceruatis, ſatis ſit per hæc verba, duos populos, Gẽtilium nimirum per Iacob, & Iſraëlitarum per Eſau, Paulum commonſtraſſe. DRI. Quo authore loqueris? CAM. Domino, qui Rebeccæ dixit: Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur: populúſque populum ſuperabit: & maior ſeruiet minori. quorum Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. DRI. Quid Paulum impulit vt hæc nunc recenſeret? CAM. Vt hunc in modum Iſraëlitarum ſuperbiam in communi primùm refrænaret: ſiquidem in communi alter populus prælatus erat: deinde verò vt in particulari dilectionẽ Iacob electi, atque Eſau odium oſtenderet, quæ tempora ſecularia præceſſerant, inquiens [Cùm nondum nati eſſent] Per quæ verba, Aſtronomorum opinio excluditur, (qui omnia fato euenire contendebant: fatum illo tempore obſeruantes, quo homines naſcũtur) itidem & Carpocratianorũ, quibus placuit, animarum ſimul cum angelis creatarum, quaſdã multa bona feciſſe, quaſdẽ verò multa mala cõmiſiſſe, antequam corpora intraſſent.

† *De præd. & gra. c. 7. & de præd. ſanct. c. 16.*

Fatum.

propter quæ aliquas Deum dilexiſſe, aliquas odio habuiſſe contẽdebant, [Neque aliquid boni, aut mali egiſſent.] Et hoc quidem, vt opera legis, de quibus adeò Hebræi gloriabantur, è medio ſic auferret, vt nullus in particulari, de illis gloriari poſſet. DRI. Auſculta, quæſo, parumper verba quæ ſequuntur, [Vt ſecũdum electionem Dei propoſitum maneret: non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau odio habui.] vt videas nullis malis operibus præuiſis, Eſau reprobatum fuiſſe. CAM. Noli cum magna turba errare, quæ non animaduertit, hoc in loco ipſam prædeſtinationem Paulum ab eius effectibus ſegregaſſe. DRI. Quid? CAM. Non quidem de ipſa prædeſtinatione ab æterno facta, dũtaxat Paulus hîc agit: ſed de effectibus quoque, qui à prædeſtinatione in tempore proueniũt. Sic enim inquit: [Vt ſecundũ electionem Dei propoſitum maneret.] Ecce prædeſtinationis tempus. Deinde verò vt effectus prædeſtinationis oſtenderet, ſubiunxit, [Non ex operibus.] de quibus Iſraëlitæ gloriabantur, eò quòd tunc nulla aderant, quę Dei prędeſtinantis voluntatem præcederent. †[Sed ex vocante,] qui donum fidei infundit, & efficit vt fideles ſimus, †quaſi dicat, non ex operibus legis, factis in tempore, de quibus vos gloriamini: ſed ex vocante, qui vocando fecit nos fideles, prædeſtinationis tempore, [dictũ eſt quia maior ſeruiet minori] bellè oſtendens, ex præuiſis operibus bonis

† Aug. de præde. & gra. c. 7. ĩfi.

† Aug. de præde. ſan. c. 7. & c. 17. de bon. perſe. c. 14.

ſidelibus, quæ à vocante originem habent, gratis iuſto volito Deum Iacob prædeſtinando dilexiſſe, Eſau verò propter præuiſa mala opera, iuſtè reprobaſſe. DRI. Minimè inter opera fidelia, & opera abſque fide operata, Paulus hîc diſtinguit. CAM. Paulò pòſt aptiori in loco, luce Solis clarius hoc tibi oſtendam†. DRI. Placet quibuſdam, nullo modo de prædeſtinatione Paulum egiſſe, ſed de ſucceſſione hæreditatis paternæ: itaque odio Eſau habitus ſit, quia minus dilectus fuit, comparatus ad Iacob. ſic enim vt odio patrem habeamus, Deum verò diligamus, ſcriptura iubet†. CAM. Cur non potius vtrumque? Nam omnes ſententiæ huius capitis noni, quas infrà explicabimus, ipſam prædeſtinationem in hæreditatem æternam oſtendunt. DRI. Iſraëliticum itaque populum odio Deum habuiſſe dicam, Gentilem verò dilexiſſe? CAM. Non ſic odio Iſraël Deũ habuiſſe putes, vt ſummo amore quoſdam proſecutus non fuerit: Vel ex diuerſo, ſic Gentiles dilexiſſe, vt quoſdam odio non habuerit: immò totum populum gentilem aliquo tẽpore, odio habuit, vti Paulus fuſius vtrũque narrat†. DRI. Cur igitur horũ duorũ, particulare exẽplum affert? CAM. Putabat nanque populus Iſraëlitarum, ſe tanquam primogenitum populum in legis operibus à Domino fuiſſe adoptatum: quod Paulus excludere intendens, primogenitos multos excluſos eſſe, atque ſecundò genitos, à Deo prælatos oſtendit: & hoc quidem, vt cuncti ſciremus vnicũ

† *Infrà. c. 7. §. 3.*

† *Matt. 10.*

† *Rom. 11.*

primogenitum nostrum esse Christum, verbum incarnatum, Dei viui filium, per quem (deposita omni cunctorum primogenitorum superbia) in adoptionem electi sumus, vt seruiamus Deo in iustitia & sanctitate, omnibus diebus vitæ nostræ. DRI. Probè : nam Abelis, Iosephi, Ephraïm, Moysis, Isaac, Petri, secundogenitorum historiæ, & aliorum qui in Scriptura continentur, perspicuè hoc ostendunt. CAM. Noë mysterium ego contemplabor: qui cùm Sem, Cham, & Iaphet genuisset, & Cham verenda Noë non operuisset, Cham maledixit, Sem verò benedixit: pręcipiens vt Cham, non solũ Sem, verùm etiã Iaphet, primogeniti instar, seruiret. DRI. Cur ita primogenituram Iaphet tribuis? Nónne Sem primogenitus erat, qui benedictus fuit? CAM. Idcirco Sem benedictus, quia Sem Christum primogenitum omnium, in quo omnes benedicuntur, repræsentabat: Iaphet verò, magno cum mysterio, locum Cham susceperat, sicut litera subiungit: [Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem,] hoc est Iesu Christi, veri primogeniti nostri benedicti, quẽ Sem figurabat: in cuius primogeniti tabernaculis, Iaphet tanquam primogenitus habitauit : Sem verò cælestia suscepit. Magnum certè mysterium, id pręsignans quod factũ est, nempe vt propter peccata Israël primogeniti, secũdogenitus populus Gentilis, humilitate plenus, in tabernaculis primogeniti Sem, Iesu Christi, eo modo habitaret, sicut Paulus declarat†. DRI. Demus in genere † *Rom.* 11.

& in particulari Iſraëlitarum ſuperbiam fuiſſe excluſam: nónne adhuc ex Pauli verbis colligimus, ante tẽpora ſecularia, quoſdã Deũ gratis dilexiſſe: quoſdã verò antequàm aliquid mali agerent, odio habuiſſe? CAM. Naturã Iacob Deũ dilexiſſe, cùm illũ creauit: dilexiſſe item ſalutẽ eius cùm gratiam & gloriã illi præparauit, nõ negamus. At hoc quare? nèmpe quia etſi nihil boni tũc egerat, quãdo non erat: bonum tamen vſum gratiarũ vidit, cùm illum præſciendo prædeſtinauit. Eſau verò naturam ex æquo dilexiſſe dicimus, ſicut ſcriptum eſt: Nil eorum quæ tu feciſti, odio habuiſti†. ſed malũ vſum gratiarum præſciens, Eſau reprobauit, impium & impietatem eius odio habens†. †*Sap.*11. †*Sap.*14.

CAPITIS SEXTI. §. II.

Miſerebor cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor.

CAMERARIVS, DRIEDO.

CVM hominem querulũ Paulus in ſequẽtibus verbis audire videretur dicentem, Partialis ergo Deus, qui cùm poſſet vtrũque ſaluum facere, Eſau odio habuit, Iacob autem dilexit? huic tacitæ obiectioni hunc in modum reſpondet: [Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? abſit.] Pro qua iniquitate excludenda, omnia quæ ſequuntur vſque ad finem capitis iſtius ſubiunxit. Poteris itaque tu verba Pauli proponere, vt ſingula ponderemus. DRI.

Hæc Pauli verba ſunt, Moyſi enim dixit: [Miſerebor cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo, cui miſericordiam præſtitero.]† CAM. Ad quem finem Paulum diuerſis verbis ſententiam iſtam citaſſe cenſes? DRI. Quis illum capere poterit in tãta diuerſitate verſionum? CAM. Magno cum myſterio, ſub diuerſis vocabulis ſcripturã aliquando verti Dei ſpiritus permiſit, vt ſimul omnibus intuitis, vnicũ verúmque ſenſum ex omnibus hauriremus. DRI. Expedit ergo, vt omnes verſiones ſigillatim proponamus. CAM. Omnino. DRI. Tibi hoc onus relinquo. CAM. Sic vulgata editio quodam in loco habet, [Miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.†] Secundum quem modum, verba loci huius (quorundam ſententia) intelligi poterunt, vt ſufficiat Deum ſic voluiſſe : ne, dum tu cauſam inquiris, cur ita fecit, ipſe reſpondeat, quia mihi placuit. Sic planè & philoſophi, ſi cauſam ab his quæras, propter quam homo ſit animal rationale, reſpondebũt, quia eſt animal rationale. Verùm quia Græci habent, [Miſerebor cui miſereor, & commiſerebor cui commiſereor,] in quibus verbis plures miſericordias Paulus intuebatur: proinde vulgata editio noſtra, dum verba Pauli narraret, vt præteritam, præſentem, & futuram miſericordiam, vnica ſententia oſtenderet, omiſſo præſenti tẽpore miſereor, quod à præterito miſertus ſum, & futuro miſerebor, comprehendi poterat, ſic deum Moyſi locutum fuiſſe, prout Paulus ſenſit, nouiſsimè nobis

Miſerebor cui miſertus ſum.

† *Rom. 9.*

Diuerſæ editiones nõ abſque myſterio à ſpiritu ſancto traduntur.

Miſerebor cui voluero, & clemẽs ero in quem mihi placuerit.

† *Exo. 33.*

Miſerebor cui miſereor, & commiſerebor cui commiſereor.

Miserebor cui misertus sum, & misericordiā præstabo cui miserebor. declarat,[Miserebor cui misertus sum,& misericordiam præstabo cui miserebor.]Hæc itaque verba à nobis interpretanda sunt, vt intelligamus quid per hæc verba Paulus senserit. DRI. Placet quibusdam vt hoc modo explanētur, Miserebor vocando, cui misertus sum prædestinādo. CAM. Si nil aliud præter hoc sensisset, frustrà adderet, Et misericordiam præstabo cui miserebor. DRI. Si iste sensus non placet, hunc secundum cape, vt dicat, Cui misertus sum per electionem, secundum propositum volūtatis meæ factam, auxilia illi misericordiæ præstabo. CAM. Implicitæ veritatis partem expositio ista cōtinet, quę à nobis explicitè declaranda est. DRI. Placuit aliquando Augustino, vt verba hæc sic declararentur, nempe vt cui misertus est Deus prędestinando, rursum misereatur eius vt credat: & cui misericors fuerat vt crederet, misericordiam pręstaturus sit: hoc est, faciet eum misericordem, vt etiā bene operetur†. CAM. Minimè Pauli sensum integrum in his verbis Augustinus explicauit: quādoquidem ille de prædestinatione agit, in qua, vltima misericordia & maior ipsa gloria erit, quæ scopus Dei prædestinantis est, & huius Augustinus in loco illo non meminit. DRI. Cupis fortaſsis, vt meo ore, Ambrosij interpretationem proponam, ne ab eo inde discedere queam? Hæc sanè est,[Ego miserebor cui misertus sum.]hoc est, eius miserebor, cuius præscius eram, quod misericordiam daturus essem, sciens conuersurum se illum, & permansurū

Primus sensus.

Secundus sensus.

Tertius sensus.

Quartus sensus.

† *Lib. I. ad Simp. q. 2.*

†Cap.9.ad Rom. apud me. [Et misericordiam pręstabo ei, cui misericordiam præstitero,†] id est, misericordiam dabo ei quem præsciui, post errorem recto corde reuersurũ ad me: ita vt non detur illi, cui dandum non est: neúmque vocet, quem sciat subaudire†. *†Amb.hic* CAM. Nequaquam expositio ista placet. DRI. Ah, Camerari, Vis Ambrosio, Hieronymo, & Augustino simul cõtradicere? CAM. Si à me quæras, an hæc opinio vera sit, illis subscribam. Si verò rogabis, an rectè Pauli literam hunc in modum exponant, hoc approbare non possum, cùm alia verba à verbis Pauli sint. DR. Suam opinionem alio in loco Ambrosius his verbis ostendit, [Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui præstitero.† *Quintus sensus.* *†Epist.84. ad Demetriadem.li.10.* CAM. Pauli verba enucleare laboramus. DRI. Quid tu sentis? CAM. Quatuor operationes Dei antequàm verba hæc declaremus, vt distinguamus necesse est: quæ omnes *Sextus intellectus.* si diuersę videntur, Dei tamẽ misericordiã perpetuò ostendunt: Prima nimirum, quando ab æterno quosdam è futura massa perditionis elegit, vt vasa misericordiæ essent, secundum propositum voluntatis suæ: quæ quidẽ operatio, tametsi tota misericordiæ sit, & non solum absque homine, verum etiam antequàm natura actu formata esset, facta fuerit: præscientiam tamen futurorum, quæ origine prædestinationem antecedit, præsupponit: futurorum inquam, prout in nobis futura sunt, sibi autem præsentia. Secunda item operatio, quando id quod ab æterno Deus præparauit, prædestinatis

in tempore præstat, donec sunt in via: in qua operatione aliquando sola misericordia absque merito aliqua Deus facit, vtpote vocare, seu compungere, & inspirare. Tertia præterea, cùm Deus gratiam pro gratia in via confert, id est, in homine qui gratiæ primæ consensum præstat, rursum operatur: vt homo ipse, cùm eadem gratia bona opera operetur. quibus fit vt nihil homo habeat, nec meritũ aliquod consequatur, quod à Dei misericordia non procedat. Quarta denique, cùm gratiam pro gratia in fine condonat, hoc est æternam gloriam pręstat, quæ principaliter secundum misericordiam & secundariò (vt ita loquar) secundum iustitiam datur: sed propterea totum misericordia dicitur, quia misericordia causa principalis fuit in via, vt in die iudicij coronam iustitiæ secundum misericordiam, & secundũ debitum quoque obtineat. † DRI. Quid tum deinde? CAM. His expensis, hunc ego sensum ex mente Doctorum sumptum, omnibus præfero: quippe vt Paulus dicat, [Miserebor] re ipsa illi gloriam dando in iudicii die [cuius misertus sum] ab æterno prædestinando.] & misericordiam præstabo,] hoc est pręmissas gratias, quas pręparaui, vt in tempore præstarentur, re ipsa præstabo illi [cui miserebor] in fine, vt dixi, re ei æternam gloriã principaliter, secũdum misericordiã condonando. his verbis bellè ostendens, totum quod fit, à misericordię fonte prouenire. Verũ quia isthęc non absque hominis volũtate fiunt, cõfestim sequẽtia verba

Vide inf. † protestante parte. 4. c. 1

ſubiungit, per quæ id quod homo præſtat, declarat.

CAPITIS SEXTI. §. III.

Non volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei eſt.

DRIEDO. CAMERARIVS.

QVID per hoc conſequẽs, quod ex præcedentibus verbis Paulus elicit, nobis oſtendere voluit, [Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerẽtis Dei eſt?] CAM. Poterunt hæc verba principiò intelligi, vt ſuppoſito hoc, nimirum Dei miſericordiæ, hominis ſalutem tribuendam eſſe, ſicut in præcedenti. §. diximus, non ſit volentis, qui nõdum erat, ſed Dei prædeſtinantis antequàm eſſet. Rurſum vt non ſit volentis, vel currentis, ad gloriam. ſiquidem gloria, Dei miſerentis munificentia & merces eſt†. Deinde vt non ſit hominis volentis, qui currit in via, ſiquidem ſi homo à miſericordia non adiuuaretur, ſolus nec velle, nec currerẽ poſſet†. DRI. Cur hominis nõ eſſe dicit id, quod minimè abſque homine fieri poteſt? CAME. Eam ob cauſam homo totum Deo acceptum ferre debet, quia neque qui plantat, neque qui rigat, aliquid eſt: ſed qui dat incrementum, Deus †. His nanque verbis Pelagianorum hęreſis confunditur, qui dicebant, hominis volentis prius eſſe, & per gratiam deinde roborari: atque hunc in modum homines eſſe prędeſtinatos. DRI. Auguſtini certè verba hæc ſunt: Qui ergo liberatur, gratiam diligat. qui non liberatur, debitum agnoſcat†. CAME. Rectè Auguſtinus ſentit,

Primus ſenſus. *Secundus ſenſus.* *Tertius ſenſus.* *Cur totum Deo tribuitur id, quod abſque hominẽ nõ fit.* *Pelagiani.*

† *Ephe.* 1. † *Aug. ad Simpl. lib.* 1. *q.* 2. † 1. *Corin.* 3. † *Augu. de bo. perſ. c.* 8

quando nemo propter originale peccatum, contra ipsam Dei bonitatem dicere potest, Cur huius, nō autem mei, misereri elegisti? Verùm vt Dei iustum volitum esse agnoscamus, ipsam gratiam illis dari dicimus, quos ea bene vsuros præsciuit: quod Augustinum sensisse multis eius doctrinis paulò pòst ostendā.† DRI. Dicent aliqui, idcircò Dei miserentis esse, quia quando vult, eo modo hominē vocat, vt veniat: quando non vult, eo modo vocat, quo non venit. Experientia nanque docet, ex duobus vocatis vnum accedere, alterum non. CAM. Esse potest, vt alter maiori vocatione vocetur, quàm alter, & tamen æqualiter vocati dicantur. DRI. Hoc scire opto. CAM. Augustinum in libro ad Simplicianum lege†, & omnia apertè cernes. DRI. Satis difficilis est. CAM. Nolo vt totū Augustinum legas, sed ab illis verbis, [Ad alios autem vocatio.] DRI. Tuo ex ore omnia audire cupio. CAM. Cùm Augustinus Dei voluntatem ab ipso homine non pendere dixisset, (siquidem potest Deus, ex nolentibus volentes ipsos homines facere) verba sequētia ad probandum hoc subiungit, [quia si vellet & ipsorum misereri, posset ita vocare quomodo illis aptum esset, vt mouerentur, & intelligerent, & sequerentur.] DRI. His certè verbis aut partialem Deum facit, aut prouisorem inæqualem. CAM. Dei potentiam, non autem actum, Augustinus narrat: quasi dicat, Quis Deo resistere potest, qui supra nostrum arbitriū est?† & paulò pòst, [Verum est ergo,

Quartus sensus.

Augustini doctrina difficilis, quæ multos malè eam intelligētes errare fecit

†Infrà. c. 9

† lib. 1. q. 2.

† De gra. & lib. arb. c. 21.

Multi vocati, pauci verò electi.]non quia congruenter non vocati, ſed quia pauci Dei voluntati accedunt. DRI. Audi quid paulò pòſt ſubnectit,[Illi enim electi, qui congruenter vocati,] bellè Deum partialem eſſe, his verbis oſtendens. CAM. Inciuile eſt, Driedo, tota lege non perſpecta, de re aliqua iudicare. Expende, quæſo, quid addit [Illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, nõ electi: quia non ſequuti, quãuis vocati.] Quid hoc, illi qui non congruebant? Nónne illos oſtendit, qui congruenter vocati, non congruunt, non accedunt? Non quidem dicit, quia incongruenter vocati. Audi rurſum, neque contemperabãtur vocationi, quaſi ferruminatione quadam, diuina & humana prouidentia ſint coniũgendæ. Audi, non electi, quia nõ ſequuti, quamuis vocati. Non autem dicit, idcirco nõ ſequuti, quia incongruenter vocati. Quibus verbis perſpicuè Auguſtinus docet, Deum omnes congruenter vocare, prout vnicuiq; congruit: ipſos verò vocatos, nolle venire. DRI. Si ſequentia verba rectè põderabis, confeſtim palinodiam concines. [Itẽ verum eſt, Nõ volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: quia etiam ſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt: vt ſequantur.] CAM. Hæc verba, tuam opinionẽ multò fortius excludunt: ſiquidem non dicit, ita vocat vt veniant: ſed aliter dicit [quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt.] audi eis, [vt veniant] ſi venire

volunt, ita vt vocatio apta, non autem necessaria sit. Ex quibus hoc consequens Augustinus colligit. [Falsum est autem siquis dicit, Igitur nõ miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis.] Siquidem & Deus miseretur, vt sponte currat: & si vellet, supra liberum hominis arbitrium operari, ita eum disponeret, vt qui nolebat, volens curreret. DRI. Si his sequentibus verbis respondere poteris, protinus tacebo. [Quia nullius Deus frustrà miseretur, cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem nõ respuat.] CAM. Dicebãt quidã propterea non miserẽtis Dei, sed volentis atque currentis esse hominis, quia si homo vult, accedit: si non vult, non accedit. Quos Augustinus explodit, inquiens: [Non volentis nec currentis, sed miserentis est Dei: quia nullius] cuius misereri vult [Deus frustrà miseretur.] A quo si rationem flagites, subiungit, [Cuius autẽ miseretur] actu ex proposito ipsum vocãs, [sic eũ vocat, quomodo scit, ei congruere, vt vocantem non respuat.] Quid verba illa, quomodo scit? Non quidem aliud nisi id quod Ambrosius docet: Deum eos cum proposito vocare, quos obauditurós præsciuit: reliquos autem, qui vocantem respuunt, minimè secundum propositum vocasse, qua de re, Dei voluntas quæ ex ordine prouidentiæ procedit, frustratur.† DRI. Sunt quibus placet, per interrogationis notam verba hæc contextus nostri esse legenda. CAME. Hic germanus est sensus, vt affirmatiuè legatur: quẽ

Quintus sensus.

† *Dixi suprà ca.* I. §. 4.

Ambrosius hîc, & Hieronymus in epistola ad
†Quæstio1. Eluidiam, sequuntur †, in summa concludentes,
solum hominem naturæ viribus, nec bene velle,
nec bene currere posse. DRI. Solus ergo Deus in
homine vult & currit? CAME. Minimè Paulus dicit, solum Deum velle & currere, immò potius per
hæc verba docet, hominem qui solus non poterat
bonum velle, & currere, virtute à Domino obtēta, id quod Dominus vult, velle posse: ac gratia pręstante vt currat, Domino adiuuante currere. Sic
enim intelligenda hæc esse, multis argumētis scripturæque testimoniis Augustinus ad Simplicianū
†Lib.1.q.2. docet.† DRI. Pellagianam hanc opinionem esse
Protestantes excipiēt, si dixerimus, quasi per partes
Deum & hominem concurrere, vt homo velle possit & currere. CAM. Absit eo modo, quo confitemur, hominis non esse volentis, sed Dei miserentis:
è regione dicamus, Non est Dei miserentis, sed ho-
† Ad Sim. lib.1.q.2. minis volentis (Augustinus inquit.†) DRI. Rationem quare id Augustinus dicat, ab eo requiro. CA.
Ea ex ratione sic loquitur, quia Gratia perpetuò
præuia est, quæ potentiam bene volendi homini
in primis confert: deinde vt suapte voluntate bene
velit, ac postremò operatur, vt homo sit gratiæ cooperator, & quasi secunda causa id loquatur, quod
†Vide ĩ li. de gra. & lib.arb.lib. 1.c. 8.& 10. Deus in ipso loquitur. sic enim viuimus rectè, si
totum Deo demus, non illi ex parte, & nobis ex
parte.† DRI. Qua ratione effugies quin ita saltem

Sextus sensus. non dicamus? Deus solus absque homine non currit. CAM. Quia potest Deus efficere, vt homo nolens currere, currat: † non tamen hoc facit, ne mũdando faciat innocentem †. DRI. Homo ergo volens, absque voluntate propria, vult & currit. CAM. Hoc efficere (secundum id quod homo concipit) haudquaquam Deus potest, vt duo contraria simul, & semel vera sint: quod eueniret, si homo absque voluntate vellet. DRI. Hominis itaque consensu opus est. CAM. Omnino: sed modum quomodo accedat, scire expedit: quando non idcirco dictũ est, non volentis vel currentis, quia hominis & diuinę volũtatis cõcursus, quasi per partes in operando cõcurrant: sed quia nihil potest homo, nisi Deus misereatur. † DRI. Concurrit ergo homo. CAM. Aliud est quasi per partes concurrere, quod Augustinus negat: aliud vt totum quod facit homo, totum Dei gratia agat: quemadmodum libro primo de gratia & libero arbitrio diximus. † quasi dicat, si prædestinare, atque hunc in modum operari, & gloriam habere, opus misericordiæ Dei est: igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: qui gratia sua efficit vt velimus. *Septimus sensus.* Septimũ itaque sensum Ambrosij suscipe, qui sic ait: Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, rectè Paulus dicit, quia non in volũtate petentis, sed in dãtis arbitrio debet esse quod poscitur. an enim dandum sit, dantis debet iudicio pensari: † Sic enim cùm Paulus dixisset: Bonnm certamen certaui:

† *Aug. de gra. & lib. arb. c.21.*
† *Nahũ. c.1*
† *Aug. in epi. 105. ad Sixtũ & Ench. c.32.*
† *lib.1.c.1. & 10.*
† *Amb. ad Rom. 9. ibi, Quid ergo.*

cursum cõsummaui: de cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam iustus iudex mihi dabit †. Super his verbis sic Augustinus ait : Fidem seruaui, opus est: cùm autem addit, Superest mihi corona iustitiæ, merces est : sed in mercede nihil agis : in opere non solus agis: Corona igitur tibi est ab ipso, opus autem abs te, sed non nisi ipso adiuuante. †his verbis modum quomodo Deus & homo in hoc cursu sese habeant, apertè ostendens.

† 2.Tim. 4.

† Aug. hom 14. in lib. 50. hom.

CAPITIS SEXTI. §. IIII.

Si cuius vult miseretur, & quem vult indurat: ô homo, tu quis es qui respondeas Deo?

CAMERARIVS. REPROBATVS. PAVLVS. DRIEDO.

VOLENS Paulus, cùm de ipsa Esau reprobatione ageret, illorum hæresim oblitterare, qui malum, atque personarum acceptatorẽ Deum esse, propterea dicebãt, quia omnes non saluauit, cùm posset omnes saluos facere † dialogum hunc inter se & reprobatũ hominẽ finxit. REP. Dicit scriptura Pharaoni: [Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra.] nónne? PAV. Ita est. REP. [Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.] PAV. Omnino. REP. [Quid adhuc quæritur, Voluntati eius quis resistet? PAV. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui

† Aug. ad Simp. lib. I. q. 2.

Cuius vult miseretur, et quẽ vult indurat.

ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliã?] DRI. Nil homo iſte reſpondet. CAM. Quid reſpõdere poteſt, qui falſa defendit? DRI. Noſtrum itaque erit, tam pręmiſſa verba, quàm reliqua quę deinde addidit, trutinare. CAM. Diu optaui, Driedo, verba de his tecum facere, quæ paulus hoc in loco ſcripſit. DRI. Perge. CAM. Scire te puto, vocabula iſta vaſorum, metaphoricè hîc propterea vſurpari, vt ad illum modum quædam dicantur vaſa in honorem, quædam in dedecus: vaſa item iræ in interitum, & vaſa præparata in gloriam: ſicut quoddã cor lapideum, quoddam verò carneum, pro ipſa hominis voluntate capiuntur, non autem pro ipſo corde à natura generato.† DRI. Quid ex his deinde contendis? CAM. Nempe vt minimè verba cõtextus ſic intelligas, quaſi vnum hominem aptum in interitum Deus generet, alterum verò in gloriã: immò potius, voluntate hominis vas factum eſſe aptum in interitum, vas verò in gloriam, (quod aliter vas iræ fuiſſet) non de nouo creatum eſſe à Domino in gloriam, ſed præparatum in vas gloriæ, hominis conſenſu ſubſequente. DRI. Vnde hoc habes? CAM. Verbis Pauli apertè hoc oſtendam. DRI. Matura. CAM. Dic tu prius, cur exemplum figuli Paulus attulit? num vt ad amuſſim Deus hunc in modum operetur, ſicut figulus operatur? DRI. Omnino. CAM. Propterea in hoc erras, quia non

Vaſa.

†Diximus li.2. de gra. & lib. arb. c.1.

pendis exemplum hoc, eo modo capiendum esse, quo Paulus capit: quippe vt hæc similitudo, duobus exceptis, in cæteris omnibus claudicet. DRI. Quæ ista duo? CAM. Alterum, vt eo modo quo figulus, vasa vt lubet, ex eadem massa luti, vnum in honorem facit, aliud verò in dedecus: itidem Deus sua prouidentia, qua saluare quod perierat, constituit, è massa perditionis vnum vas contumeliæ sub ira relinquere potuerit, alterũ verò honoris in gloriam præparare. Ambo quidem damnari poterant. Circa quæ animaduertere oportet, quòd tametsi Deus & figulus in voluntate libera æquiparentur, non propterea per omnia eadem Dei & figuli voluntas est: quandoquidem figulus in neutro iustitiam comitem habet, Deus verò vtrumque iustè operatur, dum vel secundum condignum meritum reprobat, vel quemadmodum suæ maiestati congruit, misericorditer saluat†. Alterũ quia figulus vtrũque vas ex eodẽ luto, tanquã ex simplici massa de nouo format: Deus autẽ aliter vasa facit. DRI. Arrident certè ista: sed vnde hoc tu haurias, non video. CAM. Non quidẽ aliter dicere fas nobis est, ne dicamus vasa in interitũ Deũ fecisse, quod expressis verbis Paulus negat. DRI. Minimè verba illa Paulus dixisset, [Nunquid figmentum dicet ei qui se finxit, quid me fecisti sic?] nisi dominus vas fecisset, Esaïa teste, quando dicit: Et nunc domine pater noster es tu, nos verò lutũ, & factor noster es tu†.

Figuli exẽplũ claudicat.

† *Dixi suprà. ca. 4. vide Hẽri. & Sco. li. 1. sen. dist. 41. ibi, Iste igitur.*

† *Esa. 64.*

CAM. Esaïæ verba creationem hominis ostendũt, similiter & regenerationem ex luto massæ iræ factam: non autem quòd vasa iræ fecerit. DRI. Cur igitur in vtroque luti exemplum ponit & figuli? CAM. Vt ostendat, eo modo quo lutum in manu figuli nullã causam loquendi haberet, si loqui posset: itidem hominem post Adami peccatum, ac multo magis postquam actualia addidit, nil Deo respondere posse, quare ipsius non misereatur. DRI. Quid ergo Deus fingit? CAM. Quædam prius explicanda sunt, vt deinde huic tuæ interrogationi commodius respondeam.

CAPITIS SEXTI. §. V.

Qua ratione vasa iræ vel misericordiæ fiant.

CAMERARIVS, DRIEDO.

QVID tu, Driedo, mente concipis, cùm Paulus inquit: [Quòd si Deus volẽs ostẽdere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam?] DRI. Multi orthodoxi scriptores sententiam hanc mancam esse inquiũt. siquidem dicendo, [Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinet in multa patientia vasa irę apta in interitum,] ista oratio perfecta sensum nõ generat in animo auditoris. CAM. Si Augustinum legant, qui modum ostendit collocandi verba ista, integra proculdubio sentẽtia erit,

facilis, & literis aureis eam ob causam scribenda, quia his verbis, ob præuisum bonū vsum Petrum esse prędęstinatum: atque ob prępuisum malū vsum, Iudam esse reprobatum Paulus apertè docet. DRI. Tuum erit hoc ostendere. CAME. Cogitasti aliquando, bonum Deum, massam iræ maiori iustitiæ gratuitæ†, optimi artificis instar, qui ligna prospicit an apta ad nauigandum sint, antequàm nauim ædificet, ex parte per Christum restituisse? DRI. In quo illum imitatus est? CAM. Cùm enim mentes nostras respexisset, an aptæ forent oleum spiritus sancti custodire: quasdam ex ipsis aptas ad hoc reperit, quasdam verò non: hoc est, quasdam admonitiones recipere aptas fore, quasdam verò non. Quod aliter dicere quiremus, quædam corda lapidea inuenisse, apta in interitum: quædam verò apta, vt in cor carneum conuerterentur†. DRI. Perge. CAM. Hoc iacto fundamento, hunc in modum verba Pauli secundū Augustini sensum poterunt elucidari: [Quod si volens Deus ostendere iram suam, & notam facere potentiā suam] quibus in peccatores iustè animaduertit, hāc ob rē [sustinuit vasa iræ apta in interitū] supple tu nūc isto in loco, verba quæ iamdudū Paulus dixerat, ad quæ se refert: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? & oratio perfecta secundum Augustinum erit. DRI. Probé. CAM. Pergamus vltrà, intelligentes quid sustinere vasa iræ apta in interitum sit. DRI. Vasa iræ, illos homines reprobatos nominat, quos iustè

†*Tho. sent. 2. dist. 32. q. 1. a. 2. 2m.*

†*Amb. ad Ro. c. 9.*

in ignem æternum mittere elegit. CAM. Poterat planè dicere, ſuſtinuit vaſa iræ: & non addere, apta in interitum: quandoquidem tota maſſa perditionis, vaſa iræ duntaxat continebat. DRI. Vtique. CAM. Cur ergo apta in interitum eſſe addidit? DRI. Fortaſſe vt apertius ſenſum proprium oſtenderet. CAM. Paulus certè eſt, qui non conſueuit eadem, eodem in loco repetere. DRI. Quid igitur? CAM. Paulus teſtatur, Deum pro ſua bonitate ad pœnitentiam hunc reprobatum continuò adducere: ipſum verò ſecundum duritiam ſuam, & cor impœnitens, theſaurizare ſibi iram in diem iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. † nónne? DRI. Ita eſt. † *Rom. 2.* CAM. Quid hoc theſaurizare iram erit? num à peccato originali iram duntaxat prouenire, vel potius actu hominē propter noua demerita ſibi iram theſaurizare? DRI. Quid tu ſentis? CAM. Noua culpa ſua, hominem theſaurizare iram, iuxta illud Iob, Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia†. Non quidē alia declaratione opus † *Iob. 24.* eſt, Iacobo dicente, Theſaurizatis vobis iram in nouiſſimis diebus.† Ita vt theſaurizare iram in diē irę, † *Iacobi 5.* nil aliud ſit, quàm peccata noua præteritis peccatis addere. DRI. Maximè. CAM. Rectè ergo cùm Paulus dicit, Deum vaſa iræ ſuſtinuiſſe apta in interitū, nō aliud per vocem vaſis apti in interitum, intelligam, niſi hominem ipſum, qui propria volūtate ſibi theſaurizat iram, quam in vaſe animæ ſuæ ſic volentis abſcondit vſque in diem iræ. alioqui cur vas dice-

Quid Paulus per illa verba intellexit, quādo dixit, Vaſa apta in interitū.

retur,si nihil in vase reciperet? Cur aptus thesaurizare,si nihil suapte voluntate de nouo thesaurizaret? Metaphorica quidem verba sunt , quibus vas iræ, id est hominem illum Paulus ostendit, qui omnem in se diaboli operationem,quasi vas quoddam suscipit,& propter fœtorem quē habet ex corruptione , ad nullum bonum vsum aptari potest, sed dignus est qui pereat . † Dominus nanque neque vas vt esset irę,neque thesaurū dignū ira, quod reponitur in vase iræ, principiò antequàm Adam peccaret,fecit:siquidem non erat illa in genere humano perditionis massa, antequàm homo peccasset,ex quo tracta est origo vitiata†: sed permisit secundū substantiam actus,vt homo qui vas diuitiarū Dei futurū esse debebat, propria culpa in vas irę cōuerteretur,de die in diem peccata in diē iræ sibi thesaurizans,quando nihil fit , nisi quod aut ipse facit,aut fieri,secundū substantiam actus,ipse permittit. † Hinc sanè Paulus,neque dicit Deum vas dignum ira creasse,sed sustinuisse:neque vas dignū gloria de nouo fecisse, sed præparasse. quod quomodo sit intelligendum , perspicuè ex Augustini verbis paulò pòst patebit. facit tamen Deus certo modo vasa iræ,cùm post peccatum Adami,ex massa iræ ab eo non facta,homines creat, qui vasa irę propterea dicuntur, quia Deus in illis suam iram ostendit.†sic enim verba Ambrosij† & aliorum vsurpanda sunt, cùm inquiunt Deum vasa iræ fecisse. DRI. Huic tuæ opinioni subscribo.CAM.Dum

† Basil. in homil. De⁹ non est causa malorū. col.4.

† Aug. de corr.et gra. c.10.

† Aug. de bon.pers.c. 6.Scot.1. sent.dis.41 ibi, Primū istorum.

† August. epist.157.
† Hic.

hoc fateris, negare deinde non poteris, Deum ab æterno hæc vaſa apta in interitum præſciuiſſe: hoc eſt illos qui miſericordiam ſuam offerēdam, de die in diem repudiaturi fuiſſent, ac eorum impœnitēti corde, iram vſque in diem mortis theſaurizarent. itaque hos ab æterno reprobaſſe, ne ſententia peccatum præcedat. cæteros verò qui vitam æternam oblato lumine quærerent, & diuitias ſuas in vaſis miſericordiæ theſaurizarent, prędeſtinaſſe. Hæc quidem Ambroſij & Auguſtini ſatis conſona opinio eſt, ſicut ſuprà oſtendimus, † nulla diſputatione opus habemus. DRI. Non poſſum in homine reprobato iſtuc non fateri: ſed quid in electo dicā, neſcio. ſiquidem verbum nullum quod hanc aptitudinem præ ſe ferat, in electo Paulus poſuit, ſed in vaſe irę duntaxat. CAM. Cùm enim dixit vaſa apta ad iram Deum ſuſtinuiſſe, vt in illis potentiā, & iuſtitiam ſuam oſtenderet: quia duo vaſa propoſuerat in exemplo figuli, quorum vnum aptum ad contumeliam erat, aliud verò vas ad honorem: dū vaſa ad contumeliam apta in interitum, quaſi ſegregata ab aliis ſuſtinuiſſe inquit, cætera tanquam apta in honorem præſciuiſſe, ſubaudiendum erit: itaque eſſe præparata: cùm præparare nil aliud ſit, quàm in vnoquoque præſcire, quid in futurū erit, † paulò enim pòſt dicit, Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. DRI. Paulus palàm teſtatur electos Dei, non ſolum præparatos, verùm & creatos eſſe in operibus bonis. † CAM. Non idcirco

† Cap. 4. §. 1.

† Amb. hic ibi, quod ſi volens.

† Ephe. 2.

ſic loquitur, quòd natura creemur, ſeu naſcamur ſancti, ſed quia opera noſtra bona, ab æterno ſunt præparata, vt gratia Dei aſsiſtente, in tẽpore cum ea, bona opera cooperemur. ſic enim Paulus alibi minimè dicit, Fecit nos ſanctos, ſed, Elegit nos ante
†Eph.1. mũdi conſtitutioné, vt eſſemus ſancti.† bona ſcilicet præparãdo, quæ dedit in tempore, quemadmodũ ſcriptura altera docet, quæ dicit: Ego elegi vos
†Ioan.15. vt eatis, & fructum afferatis.† Hactenus de vtroque vaſe, ad verba Pauli redeamus.

CAPITIS SEXTI. §. VI.

Verborum Pauli explicatio.

DRIEDO. CAMERARIVS.

QVID tua ſentẽtia Paulus in prænarratis verbis dicere voluit? CAM. Memorẽ verborũ illorũ te eſſe nõ dubito: [O homo, tu quis es vt reſpõdeas Deo?] DRI. In memoria habeo. CAM. Illa igitur minimè in medio literæ, vti Auguſtinus facit, ſed in fine collocemus, vt propriam ſedẽ illis demus. DRI. Age, vt lubet. CAM. Sic enim Pauli verba habẽt: [Quòd ſi volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam] ex eadẽ maſſa perditionis [ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum] hoc eſt, apta ad theſaurizãdum ſibi iram, in diem iræ, in interitum, quæ in eadem maſſa iræ reliquit [vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ] apta ad conſeruandum gratias in gloriam, vt dicit [quæ

præparauit in gloriam] adde nunc: [O homo, tu quis es qui respõdeas Deo?] & oratio perfecta erit. DRI. Cur tu, hæc verba, quæ Augustinus in medio posuit, in fine nunc collocas? CAM. Quia reprobatus homo, dãnationis suæ condolens, salutẽ quoque alterius inuidebat, sic collocãda sunt, vt vtrumque cõplectantur. DRI. Si hoc modo Paulus interpretãdus est, nemo à tua doctrina discedere poterit.

CAPVT SEPTIMVM.

Driedo multa argumenta Ambrosii proponit, vt illa diluat: deinde verò verba Ambrosii sic interpretari conatur, vt Augustinum & Ambrosium conciliare poßit.

DRIEDO. CAMERARIVS.

INCIPIAMVS, quęso, Ambrosij, & aliorum qui illum sequũtur, argumenta trutinare. CAM. Quis patienter longißimum sermonem tuum audire poterit, in quo Ambrosij verba explicare conaris? † DRI. Breuiloquus ero. CAM. Poteris itaque ea in medium producere, quæ tibi aduersus Ambrosiũ occurunt. DRI. Cùm omnes Theologi fateantur, opera, finis duntaxat prædestinationis, id est gloriæ, causam meritoriam esse posse, non autem vt omnes effectus in cõmuni, & prædestinatio tota ab ęterno facta, ipsa opera tãquam causam habeant: ne in hunc errorem talem tantúmque virum incidisse fatear, dicã respectu huius finis gloriæ Ambrosium

† Driedo 1 li. de præd. & lib. arb. fo. 19. pag. 2. cũ seque.

Driedonis sensus in verba Ambrosii.

hunc pręuiſum bonum vſum operum propoſuiſſe. CAM. Cur nō ob prædeſtinationē totam? DRI. Adiacentia Ambroſij verba, ne ſic intellexerit, repugnant, cùm inquit: Neminem damnat antequàm peccet, nullum coronat antequàm vincat †. quæ omnia ipſum finem gloriæ, vel inferni, præ ſe ferūt. Neque aliam ob cauſam confeſtim adiecit: Non eſt acceptio perſonarum in ipſa pręſcientia Dei. & alio in loco, illos elegiſſe ad promiſſa præmia capeſſenda †: non autem dixit, ad primam gratiā iuſtificantē capeſſendā. CAM. Si in ſingulari dixiſſet, ad primā gratiā capeſſendā, nónne rectè locutus fuiſſet? DRI. Vtique, modò non ſecundū Pelagianorū ſenſum, propter pręuiſa merita, primā gratiā dediſſe, ſed ſecundū Eccleſię ſenſum intelligeret. CAM. Quis Eccleſiæ ſenſus? DRI. Ille quē Auguſtinus recenſet, nempe fidem debere præcedere intellectum, vt ſit intellectus fidei pręmium †. ad hoc enim datur ſine merito, vt poſſit eſſe principiū meritorium †. CAM. Subſiſte paululùm, Driedo, ne longus ſermo legētium aures offendat: & paucis verbis quid ſentias conclude. DRI. Ambroſij Auguſtiníque opiniones conciliare nitor. CAM. Quæ Ambroſij mens? DRI. Voluit Ambroſius, obedientiam ſeu cordis conuerſionem præuiſam à Deo, eſſe finem vocationis, perinde atque vſus gratiæ, finis eſt gloriæ. Ad hoc enim Deus gratis vocat, gratis ad fidem compungit, gratis donat gratiam, vt quiſque accepta gratia conuertatur ad Deum, & rectè viuat. Et quia

† *Amb. ad Rom. 9.*

† *Rom. 8.*

† *De verb. domi. ſer. 4*

† *De verb. apo. ſer. 29.*

rationi consentaneum ac decens est, Deum donare gratiam ei quem nouit esse bene vsurum gratia: idcirco illi dat, cui est danda†. CAM. Quomodo Deus non præcedente præscientia omnium futurorum, cui consentaneum ac decens dare sit, vt illi det, poterit scire? DRI. Non quidem cui debitum est dari, sed decens, æquum, seu rationabile est dari, ipse Deus cogitat. CAME. Hoc tamen ob præscientiam boni vsus futuri: quam Ambrosius in his verbis, quæ tu descripsisti, addit, inquiens, Misericordiam ei dabo, quem præsciui, post errorem commissum, conuersurum ad me: hoc est, non dare illi cui dandum non est, neque non dare illi cui dandum est, vt eum vocet quem sciat obaudire: illum autem non vocet, quem sciat minimè obaudire. Sic enim cum proposito illum vocat, quem obauditurum præscit: non vocat cum proposito eũ, quem minime obauditurum præscit, quasi vocatus non dicatur, nisi qui cum proposito præscientiæ futuræ obauditionis vocatur: quandoquidẽ multi sunt vocati, pauci verò electi. Porrò cùm ab Ambrosio, Prospero, Chrysostomo, Fausto Galliæ episcopo, Anselmo, Fulgẽtio, & aliis, audis: opera futura quæ præuidit Deus, causam prædestinationis fuisse: cur hoc nõ ita intelligis, sicut paulò antè in gratia prima tu fassus es? nẽpe vt ratio congrua, causa æqua, seu cõdecens, vel rationabilis causa (dic vt vis) fuerit, qua Deus propter ea quę in homine vidit, quosdam bene vsuros sua gratia, tanquam vasa in glo-

† Dicemus infrà.ca.8. in prin. & §.1.

Communis doctorũ sententia.

Præuisus bonus vsus, cõgrua ratio, causa æqua, condecens, vel rationabilis, dic vt vis.

riam ab æterno præparauit, diuitiis ſuis illa implẽdo, ſicut apta erant: quoſdam verò, quos vaſa iræ apta in interitũ præſciuit, condignè reprobauit: vt ſecundũ aptitudinem illorum, iram ſibi theſaurizarent, quẽadmodũ Ambroſius tenet†. id dũtaxat negãtes, vt propter hominũ meritũ, prędeſtinentur, vti Auguſtino placuit. hoc enim modo horũ opiniones ſic conciliares, ſicut conciliatæ à nobis ſunt†.

† Cap. 9. ad Rom.

† ſup. c. 4.

CAPITIS SEPTIMI. §. I.

Argumentum ſecundum ex Ambroſii doctrina, quod Driedo ſoluere conatur: in quo ſententia illa explicatur, Deus vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

CAMERARIVS, DRIEDO.

SI Deus cùm generaliter vellet omnes homines ſaluos fieri†, deinde quoſdã ſpeciatim reprobauit: ne dicamus Deum id non poſſe quod vult: cõſequens eſt, præſcientiã effeciſſe, vt qui bene ſuis donis vſuri erant, prędeſtinarẽtur: qui verò malè, reprobarẽtur. DRI. Poſsũt verba prędicta in primis vniuerſaliter capi, vt nõ pro omnibus hominibus abſolutè hoc velit, ſed ſermo ſit accõmodatus omnib⁹ alicuius certę multitudinis. ſic enim ſcripturæ cõciliandæ ſunt, ne cõtrariæ videantur†: quandoquidem Dominus multos non ſaluat: & non ſaluando, dicere inſipiens in corde ſuo poſſet, idcircò eos non ſaluare, quia non poteſt: parum animaduertens alio in loco ſcripturam dixiſſe, Omnia fecit quæ voluit, ſiue in

† pª. Timo. 2.

† Auguſt. Enchir. c. 103.

Sententia illa, Deus vult omnes ſaluos fieri, quomodo ĩtelligatur.

Primus ſenſus pro omnibus certæ multitudinis.

Secundus sensus, vt omnes, qui salui fient, saluos fieri voluerit.

cœlo, siue in terra†. CAM. Cótendent Lutherani, electos duntaxat voluisse saluos fieri: non auté omnes, vti secundú nos verú est†. DRI. Si hæc non placeat, secundo loco Augustinus respõdet, vt vox illa, omnes, intelligatur, qui salui fiũt: iuxta illud, In Christo omnes viuificabuntur†. & alibi, Illuminat omnem hominem venienté in hunc mundum†. hoc est, quotquot illuminabuntur, vel iustificabuntur: non autem quòd omnes viuificenturt† : vtpote si pro exemplo dicamus, Omnes intrant per hanc ianuam, id est siqui intrant. Omnes docentur ab hoc magistro, omnes scilicet qui discunt†. quasi vt quo modo nullus discit nisi ab illo magistro, eodẽ nullus eorum qui saluantur, ab alio quàm ab ipso saluentur†. Aut tertiò sic dictum est, vt per omnes homines, omne genus hominum intelligamus†. CAM. Poterit itidem insipiens excipere, literam simpliciter dicere, Deum velle omnes saluos fieri: itaque esse intelligendam: Et hæ tres interpretationes simul corruent omnes. DRI. Si vim in verbo, vult, facere cogimur: tunc respondebo, duplicem in Deo voluntatem considerandam esse: alteram nimirum, qua verè sic fieri vult, & ita fit: alteram verò, quæ etsi velle extra videtur, occulta tamen voluntate sua, id minimè vult. exempli gratia, si Dei inspirationes, vel pręcepta considerabimus, per quę multa à nobis exigit, quæ ipse sic omnino re ipsa fieri non vult, tunc enim dicemus, vt velit omnes saluos fieri: hoc est, quia iubet vt omné hominem velimus saluum fieri. CAM. Insomnia quidem hęc

Tertius sensus, vt omne genus hominũ intellexerit.

Quart⁹ sensus duas voluntates cõsiderando.

† *Psal.* 113.
† *Sup. c.* 1. *in prin.*
† 1. *Cor.* 15.
† *Ioan.* 1°.
† *August. ench. c.* 103
† *De præd. sanct. c.* 8.
† *Enchir. c.* 103.
† *August. ench.* 103.

ſunt Driedo, ab his adinuenta, qui terminos non pendunt, eò quòd nil Deus vult (veritas cùm ſit) quod verè non velit: ſed modus volendi intuēdus eſt: nempe vt hoc modo multa non velit quæ velle videtur, quia hominis conſenſum plerunque exigit, quo nolēte nec ipſe vult. ſic enim Auguſtini verba intelligenda ſunt, cùm ait: Profectò facere noluit quodcunque non fecit.† itidem & opinio Bonauenturæ declaranda eſt, cùm inquit, hanc Dei voluntatem ad ſalutem ſufficientē non eſſe, facto ſcilicet hominis, qui obicem in medio ponit. DRI. Poterimus ergo dicere, voluntatem optatiuam eſſe. CAM. Num Paulus grammaticæ ignarus fuit, vt pro optatiuo indicatiuum ſubrogauerit? DRI. Si circunſtantias verborum Pauli intueamur, qui iubet vt pro omnibus hominibus, regibus, ac cæteris oremus: quid aliud poſſumus intelligere, quàm Dominum velle, vt nos velimus orare pro omnibus indifferenter, vt omnes ſalui fiant? CAM. Si idcirco iubet vt pro omnibus oremus, quia ipſe vult omnes ſaluos fieri, cum Auguſtino dicis, Deum à prædeſtinatis, & pro prædeſtinatis, rogandum eſſe vt velit. † DRI. Hoc in ſumma Ambroſius concludit, ipſum velle omnes ſaluos fieri, qui ſalui fieri voluerint, deſiderauerint, aut crediderint, & nomem Domini inuocauerint: † quandoquidem ipſe neminem ſaluat nolentē aut inuitum: ſed credentes atque volentes duntaxat ſaluos facit:† volentes inquam, & credentes, à Patre tractos. Proindéque pro omnibus orandum, vt ſi tracti non ſunt, trahātur.†

Marginal notes (left): †*Enchir.c.* 103.*in fin.* — †*Enchir.c.* 103. — †*Amb.* 2. *Timo.* 1. — †*Nahū.* 1. — † *Aug. in cap.Ioā.*6.

Marginal notes (right): *Quintus ſenſus, vt voluntas optatiua ſit.* — *Sextus ſenſus vt oremus.* — *Septim' ſenſus, vt velit omnes ſaluos fieri qui ſalui eſſe voluerit.*

nam prædestinatio orationibus sanctorum iuuatur, quemadmodum de Pauli conuersione legimus, qui ab æterno prædestinatus, Stephani orationibus vocatus fuit.† Et ne pusillanimi essemus, euestigiò subiungit: Vnus est mediator noster Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.† supple tu, qui credere voluerint: iuxta illud Ioannis: Dedit potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius.† Sic planè & Petri verba intelliguntur, Deum velle omnes ad pœnitentiam reuerti.† & alibi, Nolo mortē peccatoris. † CAM. Per omnia, opinionem Ambrosij confirmas, quam ipse proposuit, vt omnes velit saluos fieri, si & ipsi velint. DRI. Vis fortaßsis vt cum scholasticis dicam, Deum velle omnes saluos fieri, voluntate antecedenti: non velle omnes saluos fieri, voluntate consequenti.† CAM. Cùm minimè rationem cur hoc ita sit, scholastici afferant, & in voluntate diuina nihil prius aut posterius sit, modum scire optarem, quo modo vtrumque sit verum. DRI. Origine vnū alterum præcedere, perpetuò tu in ore habes. CAM. Non tamen vt simul, purè velit & nolit. DRI. Rectè sentis, considerata ipsius Dei voluntate: sed ex parte volitorum, vnum vult voluntate antecedenti, quod non vult voluntate consequenti.† CAM. Optarem vt tu, cur Deus voluntate antecedenti vnū velit, quod consequenti voluntate non vult, enucleares. DRI. Thomas post Damascenum hoc declarat.† CAM. Non tamen modum illo in loco

Octauus sensus, qui inter volūtatem antecedētem et cōsequentē distinguit.

† Act. 7. in fine.
† pa. Tim. 2.
† Ioan. 1.
† 2. Pet. 3.
† Ezec. 18.
† Tho. pa. q. 19. a. 6. pm.
† pa. parte. q. 19. ar. 6. ad primū.
† p°. dis. 46. q. 1. a. 1. c.

ostẽdit, quo intelligamus, cur Deus id quod voluit voluntate antecedenti, inefficaciter voluit: volũtate verò consequenti, cum effectu. DRI. Dic tu quid sentias rogo. CAM. Sua prouidentia generali, Deus, sicut iandudũ dixi, †voluntate antecedẽti, quæ præscientiam futurorum, origine antecedit, voluit omnes saluos fieri, si salui esse voluerint: & hæc facto hominis potuit frustrari.† voluntate verò consequenti, id est specialiter prædestinando, quia prædestinatio præscientiam origine sequitur, eos saluos esse vult, quos salutem velle præscit, † quo casu vt suum finem habeat necesse est†. DRI. Volũtas ergo antecedẽs imperfecta est. CAM. Minimè, quandoquidẽ imperfectio non ex parte voluntatis diuinæ est, sed ex parte voliti quod nõ accipitur cũ omnibus circunstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem salutis†: ita quidem, vt si quæratur, cur omnes nõ saluantur, respondendũ sit, quia ipsi nolũt:† Ad hęc si protestãtes aduertisșẽt, inter ea distinguẽdo quę ex ordinę ꝓuidentiarũ sunt, et ex ordinę prędestinationis vel reprobationis nõ adeò delirasșẽt.†

† Cap. 1.

† Tho. p°. sen. dis. 40 q. 1. a. 2. c.

† Sup. ca. 1. § 1. & 4.

† Aug. de ciu. Dei li. 18. c. 51. de doc. Christ. lib. 3. c. 34.

† Tho. p°. dis. 46. q. 1. a. 1. 2m.

† Aug. in Ench. c. 97

† Dicemus inf. 1 Prot. par. 5. c. 1.

CAPITIS SEPTIMI. §. II.

Deum æqualem prouisorem esse, qui vult omnes ad pœnitentiam adducere.

CAMERARIVS, DRIEDO.

VIDES itaque ex his quæ diximus, Deum non esse personarũ acceptatorem, immò potius æqualem prouisorem, vt omnes velit ad pœnitentiã adducere. Verũ quia æqualia inæqualibus sic fiunt inæqualia, vt æquali-

tate in ferendis ſententijs nil poſsit inueniri inæqualius. Hinc dum quidam vocati iram ſibi theſaurizare properant: Deus hoc præſciens tanquam vaſa iræ apta in interitum, quæ ſalua eſſe non volũt, illos ab æterno reprobauit: reliquos verò, quos tanquã vaſa apta in gloriã ſaluos eſſe velle, præſciuit, prędeſtinauit. DRI. Æqualiter ſe Deũ ad omnes habere ſic intelligo, vt cõſiderata ęqualitate Dei, nõ maiori ſapientia vel bonitate vnum quàm alterum agat. æqualiter item ſe habere ad omnes, qui ſunt in ciuitate Dei: quia ſcriptum eſt, Non fecit taliter omni nationi.† CAM. Minimè de ipſa Dei ſapientia & bonitate nos diſputamus, neque de his quæ in populis fecit, inter quos boni & mali ſunt: ſed de particulari hominum prædeſtinatione, quæ æqualis eſſe poterat in omni gente. vnde fit vt quęramus, cur in omni gente quoſdam, & non omnes prædeſtinauit. DRI. Duo ſunt teſtimonia inter cętera, vbi hanc ſententiam legimus, Deum acceptatorem perſonarum non eſſe. Primum Pauli:† quod ſic intelligo, Deum perſonarum acceptatorem nõ eſſe, hoc eſt in futuro ſeculo, vt vnicuique reddat iuxta opera ſua. Aliud verò Petri:† quod aliter declaro: nẽpe vt in hoc ſeculo, ea ratione acceptator non ſit, quia neminem qui dignus eſt repellit: nemini petenti gratiam, veritatis lumen denegat: omnem ad ſe venientem recipit: omnem inuocãtem ſaluum facit.† CAM. Dicam ego ex diuerſo, ſi neminem, qui dignus eſt, repellit: ergo illum qui ſe

Pſal. 147.

†*Rom.* 2.

†*Act.* 10.

†*Driedo in loco citato.*

indignum facit, repellit. Indignũ autem se facere, est Dei gratiam refutare, iuxta illud: Vobis prius oportebat loqui verbum Dei, sed quoniam renuistis, & indignos vos iudicastis, ecce conuertimur ad

† Acto. 13. gentes.† DRI. Sit ita. quid tum deinde? CAM. Ambrosio subscriberes, cui placuit hunc bonũ vel malũ vsum gratiarũ, causam fuisse, cur condignè Deus quosdã reprobauerit, quosdam verò, sicut bonitati suæ cõgruebat, iusto volito misericorditer prædestinauerit. DRI. Perinde enim vos qui Ambrosiũ sequimini, hac sententia acceptationis personarũ vtimini, ac si Deus debitor gratiæ esset, vt deinde distribuendo, alteri cui non datur, iniuriã faciat: hoc quidem aliter se habet. nam cùm inæqualiter gratia præstatur, dicere poterit Deus: Amice, non facio tibi iniuriam.† CAM. Nemini Deus iniuriam fecisset, etiam si ambos sub massa iræ reliquisset: nec vni iniuriã faceret, cùm alterius misereretur, fateor: siquidem in operibus meræ gratiæ nulla datur personarum acceptio, nam tunc dici huic poterit: O homo tu quis es qui respondeas Deo?† Sed quia pater misericordiarũ est, hoc scire cum Paulo laboramus, quare vtriusque prædestinando misertus non est? DRI. Dei ocultum iudicium iustum hoc fuisse, nobis tamen incognitum, cum Augustino respondeo†. CAM. Si iustum, satis constat distinctionem Augustini circa iustitiam distributiuam cessare: & causam inquirendã esse, ob quam iustè vtrunque fecerit. quæ si vobis incognita est,

† Aug. ad Simpl. li. 1. q. 2.

Nõ propter inæqualitatẽ Deus argui poterit quia vni gratiã dat, alteri non.

† Aug. in loco citato.

† Aug. lib. 83. quæst. q. 27. & q. 68

ſatis nota Dionyſio, Ambroſio, Anſelmo, & Auguſtino fuit, cùm inquiunt: Homo non idcirco gratiam non habet, quia Deus non dat, ſed quia homo non vult accipere†. quod aliis verbis Augu- †Tho.1.diſ.
ſtinus confirmat, dum quærit quare omnes non 40.q.4.a.
ſaluantur, ſi Deus omnes ſaluos fieri vult: & reſpõ- 2. ibi, Sed
det, idcirco omnes non ſaluari, quia nolũt omnes contra.
ſaluari†. & hoc quidẽ Deus ante reprobationem, †Enchir.c.
origine ab æterno præſciuit. Satis ſint iſta: alibi reli- 97.
qua cum Proteſtãtibus ſupplebo: quibus ea de re, quia omnes doctores excludunt, ſacræ ſcripturæ teſtimoniis iſthæc omnia commonſtrabo.

CAPITIS SEPTIMI. §. III.

Argumentum Driedonis tertium, per quod Ambroſii opinio confirmatur, propter verba illa Pauli, Non ex operibus, ſed ex vocante.

CAMERARIVS, DRIEDO.

DIC, rogo, an cùm Paulus dixit, [Non ex operibus, ſed ex vocãte dictum eſt, quia maior ſeruiet minori.] duo populi propoſiti fuerint, Iudaïcus ſcilicet, & Gentilis, quorum alterum odio habuit, alterum verò dilexit? DRI. In explanatione literæ iſthæc explicata ſunt. CAM. Multa tamen hîc determinanda reſeruauimus. DRI. Quæ? CAM. Quippe de operibus legis, non autem de operibus fidei Paulum ſenſiſſe, quando dixit. [Non ex operibus, ſed ex vocante.] Sic enim opera legis excluſit, vt nullam

memoriam illorum tunc habuerit: quaſi non ex operibus legis quæ hominis erant, ſed ex vocante ab æterno inuitati ſint ad nuptias, ab eo qui gratias ſuas præparauit, dandas in tempore: fidelia futura opera prȩuidens, quȩ dilexit: non autem opera legis abſque fide, ſine qua Deo placere nequimus†. DRI. Vnde hoc hauris? CAM. Auguſtinum principiò afferam, cui placuit, fidem hominis futuram Deum origine prȩſciuiſſe, antequàm hominem prædeſtinaret†. DRI. Non te pudet retractatam ab Auguſtino ſententiam, in medium producere?† CAM. Non quidem aliud ipſe retractauit, niſi id quod dixerat, fidem nimirum tanquam hominis opus Deum præſciuiſſe: non autẽ fidem tanquàm donum ſuum† ab homine acceptandum præſciuiſſe negat. hoc enim in lib. de prædeſti. ſanct. egregiè diſputauit, palàm confitens, fidem quam ipſe erat daturus, tanquam donum quod ipſe elargiturus erat, origine antequàm prædeſtinaret præſciuiſſe.† Ad hæc obiectum totius epiſtolæ illius obſeruemus, quod tale à principio epiſtolæ fuit: rurſus, & finem verborũ Pauli in eodem capite nono, Cùm enim Paulus dixiſſet, Odio Eſau habuit, Iacob autem dilexit, quia cauſam dilectionis & odij non dixerat, illam in fine poſuit, vbi poſt enarratas prophetias odij & dilectionis, ſic ait: [Quid ergo dicemus?] hoc eſt, quam cauſam reddemus, vt populorum horum alter dilectus, alter verò odio habitus ſit? cui quæſito hunc in modum reſpõdet,

Margin notes: † *Heb.*11. — † *Aug.c.*9. *ad Rom.* — † *li.*1.*retracta. ca.*23. — † *Ephe.*2. — † *De præd. ſanc.c.*10. — *Fidem eius donũ Deus præſciuit.*

Quia [gentes quę non sectabãtur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem quæ ex fide est: Israël verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitię non peruenit.] Neque hoc contentus, confestim vt causam lucidius ostenderet, addidit: [quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus.] vbi apertè dilectionis odiíque causas cernis, nimirum superbiam Israël, qui de legis operibus gloriabatur, in causa fuisse vt odio haberetur. humilis verò deuotio gentilium, qui fide gratia Dei, gratis per Iesum Christum se saluari crediderunt, amoris causa fuit. Quæ cùm ita se habeant, cogimur nunc dicere, verba illa, [Nõ ex operibus, sed ex vocãte dictũ est, quia maior seruiet minori.] opera legis ostendere, quæ à Domino neglecta sunt in persona Esau, de illis operibus gloriantis: non autem de operibus fidei, propter quæ Iacob dilectus fuit. DRI. Quid ex his inferre conaris? CAM. Nil aliud quæro, nisi vt literam explicando dicas, Ex vocante ergo qui fidem dedit, & charitatem infudit, vt fidelia opera cum gratia cooperarentur, & non ex operibus à lege præceptis, quæ solus homo timore operatur. DRI. Quid tum deinde? CAM. Id deinde volo, vt hoc Pauli testimonio, Ambrosij opinionem perspicuè probatam esse fateàris. Nam si ex vocante propter opera fidelia dictum est, quia maior seruiet minori: & hæc verba propter istam prædestinationem Paulus affert, vt modum ostendat secundum quem prædestinati sumus: satis constat præuisum

bonum vſum gratiarum Dei, ſecundam cauſam congruam primæ cauſæ additam, quæ voluntas & bonitas ſua eſt, prædeſtinationem origine præceſſiſſe. DRI. Hoc argumentum maximè te condemnat. CAM. Quid? DRI. Si Deus eſt qui nos fideles facit, propterea certe fideles ſumus, quia prædeſtinati: non autem quia fideles, nos prædeſtinauit.† Quod ſi ita eſt, rectè cum Auguſtino dicemus, Sua facta potius quàm noſtra præſciuiſſe.† CAM. Dei donũ fides eſt, † quæ hominis conſenſum exigit:† & hoc Deus origine præſciuit, antequàm prædeſtinaret: itaque, & facta ſua & noſtra ſimul præſciuit. ſua, qui dat: noſtra, qui bene illis vſuri ſumus.† DR. Quid ſi nunc dicam, verba illa [Non ex operibus] id eſt, ex nullis operibus, interpretanda eſſe? Siquidem nulla opera tunc, quando prædeſtinauit, aderant. CAME. Præter multa abſurda quæ ex hoc prouenirent, in præcedentibus argumentis examinata, acceptationis nimirum perſonarum, atque inæqualis prouidentiæ Dei: vnum adhuc obſtaret, quia Paulus (ſicut diximus) odij & amoris cauſam, opera ipſa diuerſa eſſe ait, non autẽ vt nulla opera conſideremus. Quæ ſi omnino conſideranda ſunt, præuiſa futura opera fuiſſe neceſſariò dicere compellimur: ſic enim Ambroſij opinio rectè ipſi literæ quadrat, cùm ait: Sciendo enim qualis vnuſquiſque futurus erat, prædixit. Nec aliud poteſt euenire quàm Deus nouit eſſe futurum, & hoc quaſi præſcius, non tanquam perſonarum acceptator. nam

† *Aug. de præd. ſanct c. 17.*
† *Aug. de bo. perſe. c. 18.*
† *Ephe. 2.*
† *Aug. de præd. ſanct c. 10.*
† *Diximus in lib. de gra. & lib. arb. c. 8.*
† *Diximus ſupr. c. 5. cũ Scoto.*

neminem damnat antequàm peccet: nullum coronat antequàm vincat.† †Ad Rom. 9.

CAPITIS SEPTIMI. §. IIII.

Argumentum quartum ex Ambrosio qui verba illa ponderat, Vt secundum propositum electio Dei maneret.

CAMERARIVS. DRIEDO.

QVVM Apostoli verba audimus. †[Vt secũdum propositũ electio Dei maneret.] †Rom.9. satis ex hoc concipimus Deum ipsum aliquid eligere, cùm prædestinat, nónne? DRI. Perpetuò Paulus huius propositi, electionísque, in ipsa prædestinatione meminit.† CAM. Hæc †Ephe.1. autem electio (secundum Augustinũ) irrationabilis esse non potest.† DRI. Fateor, quandoquidẽ secundũ †Aug. de consiliũ suum omnia agit.† CAM. Siqua ergo causa bon.pers.c. eligendi sit, à ratione procedit, quare Deus hunc 11. prædestinauerit, alterum verò reprobauerit. DRI. †Ephe.1. Omnino. CAM. Sed nulla alia ratio prædestinationis esse potest, cur Iudam reprobauerit, Petrum verò saluauerit, vt simul æqualis prouisor sit, nisi præscientia boni vel mali vsus: ergo præscientia hæc, causa est, seu ratio prædestinationis. DRI. Dei voluntatem nõ idcirco rationabilem esse dicimus, quia aliquid sit Deo ratio vel causa volendi: quandoquidem sempiternus & increatus est, qui nulla ratione mouetur, per quam velle incipiat.† quod †p^a.q.19.a si dederis authoritate Pauli, ego subiungam, vt 1.3^m.

ſecundum propoſitum Dei, electio maneat, nec aliud quæramus. CAM. Vtinam, mi Driedo, poſtquā ſyllogizare, & tacito nomine Thomæ (ſecundum ſcholas) tanquam cum hoſte congredi voluiſti, integrum Thomam pro vtroque retuliſſes. hæc enim Thomæ ſententia eſt, immò potius Ambroſij & aliorum, quorum alibi memini,† nempe voluntatē Dei, primam cauſam noſtræ prædeſtinationis eſſe, à ſola eius bonitate procedentem.† itaque ſecundū propoſitū Dei, electionē perpetuò manere: cui nos eo modo præuiſum bonū vſum gratiarū addimus, ſicut tu nouiſſimè ratiocinaris: quippe vt hominis aliquid non ſit, quod referatur in Deū: magis autē (ſicut paulò antè dixi,†) vt Deus ipſe propter id quod in homine, ſua prę̨ſciētia cernit, proprio motu, prout ſuæ bonitati congruere iudicat, ad prædeſtinandū moueatur. Præſtolare paululum, donec reliqua audias, quę in hac ſecunda cauſa ſunt conſideranda.†

† *Sup. ī prī. c. iſtius.*
†*Tho. pa. q. 19. ar. 2. 4m*
†*Sup. c. 4.*
† *Infrà. c. 8. §. 1.*

CAPITIS SEPTIMI. §. V.

Argumentum Driedonis octauum, dimiſſis. 5. 6. & 7. quæ cum Proteſtātibus diſcutientur.

CAMERARIVS. DRIEDO.

CVM ea omnia, quæ in 5. 6. & 7. argumētis, à te propoſitis continentur, cum Proteſtantibus tractaturus ſim, octauum aggrediar argumentum, quod eſt vltimum eorum quæ tractas. DRI. Age, vt lubet. CAM. Nō abſque magna admiratione ſæpe mecū ipſe cogitās

dicebam, qua ratione aduersarij negare possunt, bonum vsum gratiarum, causam secundam, ad prędestinandum Petrum, non Iudam, fuisse: si in prima gratia iustificante, non solum consensu hominis opus est, vt non eo nihil agente, gratia intromittatur, † quem Deum præscire fatentur: verùm etiam *† Vide quæ* vt homo pœnitens in Deum moueatur, & in de- *dixi lib. 1.* testationem peccati, mandatis eius sese obedientẽ *de grat. & lib. ar. c. 8.* per omnia præbens. † DRI. Hominem isthæc per *† 1. 2ª. q. 113* suum liberum arbitrium facere, palàm fateor, sed *a. 5.* non absque gratia Dei, quæ effectus est prædestinationis. sic enim & prædestinationis effectus ipsa *† De bono* quoque obedientia est. † CAM. Quid tum? DRI. Hinc *perf. c. 14.* enim prouenit, vt cùm effectus prędestinationis hęc sint, minimè causa omniũ effectuũ esse possint: ne causa suæ causæ sint. CAM. Satis paulò antè hæc *† Ca. 4. et. 5* explanauimus: † illa repetita esse volo, ne multiloquus habear. Vale mi Driedo, & quiesce. ego verò de reliquis quæ tu addis, cum Protestantibus stricto marte certabo.

CAPVT OCTAVVM.

Dominicus Sotus, Cæsaris à confeßionibus, tacito Driedone, atque Caietano, omne congruũ excludit.

SOTVS. CAMERARIVS

SALVERE te iubeo, Camerari. CAM. Salue docte Sote. SOT. Relatum est mihi, te prædestinationis articulũ tractare: in qua, nescio quem nouum motum tibi effingis, quem congruum esse ais. CAM.

Congruum motum tu negas? SOT. Vana chimęra hæc est, scripturæ incognita: immò potius hæresis quædam Pelagiana. CAM. Perinde loqueris ac si Thomas hac voce vsus non fuerit, & quasi solus sapias, congrui meritũ negas, patres antiquos floccifaciens, qui hoc meritum congrui, magnifecerunt. SOT. Absit meriti ipsius congrui patres meminisse, qui solum condignum meritum admiserunt. CAM. Vereor ne te lateat, quomodo à patribus, & Scoto, immò & à Thoma nostro auriga, meritum hoc congrui consideretur. SOT. Pulchrũ quidem hoc esset, post tantos labores, hos terminos ignorare. CAM. Absit, me doctum Sotũ ignorantia notare: sed sic loquor, quoniam quandoque bonus dormitat Homerus. SOT. Quid isti sentiũt? CAM. Voluntati Dei sua bonitate moti, quæ prima causa est, secundam prædestinationis causam, rationem voliti sui ostendentẽ, addi posse inquiũt. SOT. Num vt propter aliquid ab homine prius caussatum, quod nouam voluntatem in Deo, tanquam quid ab homine in Deum fluẽs generet, Deus ipse moueatur? CAM. Non sanè, immò potius vt propter id quod in homine Deus cernit, præuisi boni vsus gratiarum suarum, secundum id quod bonitati suæ congruit, ad prædestinãdum Petrum, non autem Iudam, fuerit motus. SOT. Solus loqueris. CAM Contrarium ea testantur, quæ hactenus locutus sum, cæteris concertatoribus congruum hoc commonstrans. Atqui vt nouo quodam proban-

di genere id ipsum tibi ostendam. rogabo, num cùm Deus aliquem trahit, nil in homine respiciat, quod tanquam secunda causa, voluntati suæ quæ prima causa est, addi possit, vt illo quoque intuito, Deus ad trahendum moueatur? SOT. Sanè nihil. CAM. Cur igitur Augustinus dixit: Si non traheris, ora vt traharis? † Nónne Stephani orationibus Paulus vocatus fuit? Ecce quomodo aliquid in homine inest, quod Deus ante primam gratiam, futurorum præscius, intuetur. SOT. Totum hoc do, meritum autem congrui nego. CAM. Quapropter? SOT. Mutíne fuerũt patres nostri, vt hoc congruũ tunc nobis non ostenderint, quando per alios modos, Pelagianorum argumenta soluere elaborarunt? CAM. Surdúsne tu es, vt Augustini voces non audias, cùm inquit: Fides iustificationem meretur? † SOT. Non erubescis, Augustini doctrinam ab eo retractatam in medium afferre? † CAM. Specillis tu cares, vt videas hoc duntaxat Augustinum retractasse, nempe fidem à nobis incipere. SOT. Bifariàm sanè donum fidei Augustinus considerauit: alterum nimirum fidei informis, quę ad acquirendũm regnum cœlorũ haudquaquam sufficit: quod donum in catechumeno impio adesse posse minimè negat†. Alterum verò fidei formatæ, in lauacro regenerationis, interea dum iustificamur, obtentæ: quo tẽpore ecclesiæ corpori vnitus, tanquam bene meritus filius, regni cœlorũ capax efficitur. CAM. Probè: sed quid tum deinde? SOT. Fidem infor-

Orationes prædestinationẽ adiuuant.

† *Ioan. 6.*

† *Epi. 105.*

† *lib. 1. retracta. c. 23*

† *1. Cor. 13.*

mem, ex his, inchoationem meriti, hoc eſt fidei formatæ, quæ ſola meretur, non autem meritum eſſe concludo. CAME. Hunc in modum optime Sote, fides informis à Deo initium habens iuſtificationem meretur, quia homo habitum fidei informis, quod donũ Dei eſt † retinens, dum Deo ipſum mouente, credit, id faciendo quod in ſe fuit, ad futuram gratiam ſe pręparauit: quod bonus Deus intuitus, congruum ſuæ bonitati eſſe iudicat, fide formata animam à gratia motam iam in Deum, & in deteſtationem peccati, iuſtificare. Hoc quidem Auguſtinus oſtendit, cùm ait, nondum inhabitantem ſpiritum, hominem adiuuare, vt ſit fidelis: inhabitantem verò adiuuare fideles. † SOT. Non tamen dicit congruum meritum eſſe. CAM. Thomã audi, qui cùm quæreret, an orationibus noſtris primam gratiam alteri promereri valeamus, congrui meritum admiſit †. SOT. Sed paulò antè illud ex orantis perſona negauit, palàm docens, actũ fidei primam gratiam potius conſequi, quàm mereri †. CAM. Condignum meritum, omni ex parte, Thomas in loco illo negauit: non autem congruum, quod Auguſtinus ponit, cùm ait: Fides iuſtificationem impetrat †. quaſi ea ratione, quia congruit bonitati Dei ſic agere, impetrari magis propriè, quàm mereri dicatur. Paulum audi, qui dixit: Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum: credenti autem in eum qui iuſtificat impium, fides

† Eph. 2.

† Vt ſuprà. epi. 105.

† pª. 2. q. 114. ar. 6. c.

† Vt ſuprà a. 5. pm.

† Epiſt. 105

eius reputatur ad iustitiam: & illud, reputari fidem, à congrui fonte prouenire ne negato. SOT. Negas igitur gratis nos iustificari. CAMER. Absit, immò potius quia gratis iustificamur, & simul fides reputatur ad iustitiam, ex hoc colligo meritum congrui hoc esse, quod gratiam primam non antecedit, dum habitus fidei informis infunditur, sed sequitur: quo intuito, Deus habitum eundem fidei, charitatem infundendo hoc modo format: nempe quia congruum est, vt dum homo bene vtitur sua virtute, Deus secundum superexcellentem virtutem, excellentius operetur†: quod non absque homine fit. Non quidem hoc quærimus Sote, an aliquid ab homine in Deum fluat, quod causa suæ voluntatis, eam antecedens sit, sed potius an propter illa quæ Deus in homine præscit, tanquam causa secunda congrua, quæ suam voluntatem sequitur, vt eius volitum iustum reddatur, cur Petrũ, non autem Iudam prædestinauerit, sit addenda†. SOT. Nullum meriti nomen, hic Dei motus à te consideratus poterit habere. CAM. Quam ob causam? SOT. Quoniam illud verè meritum dicitur, quod iustitię atque debiti rationem in se cõtinet: iuxta illud, Merces mea mecum est, reddere vnicuique secundũ opera sua†. CAM. Sit hoc vnum meritum condignum, de quo nos nõ disputamus: alterum verò meritum congrui, de quo inter nos controuersia est, an detur. SOT. Quid pro hoc tu in medium producis? CAM. Incipiam principiò

† 12æ. q. 114. 6. c.

Causa secunda.

† *Diximus suprà. c. 4.*

† *Apoc. 22.*

rudi exemplo isthuc etiam idiotis ostendere. SOT. Nullo exemplo, Dei æterna prædestinatio ostendi poterit. CAM. Sat erit, si ab aliquo simili quod in nobis cernimus, ad hęc maiora rapiamur. SOT. Perge. CAM. Finge leonẽ adesse, qui puerum prope domum tuam deuorare nitatur: & viatorẽ inermem aduenisse, qui lapidibus leoni resistere incipiat. num tu arma quę domi habes, illi porrigere ad commodius certandũ denegares? SOT. Absit. CAM. Quid si adhuc panem petat, vt aliquantulum recreatus, pugnam prosequi possit: nónne panem illi porrigeres? SOT. Quicquid domi esset, illi traderem. CAM. Coram quo notario obligatus eras, vt quasi debitum condignum, non ex charitatis fonte, sed contractus vinculo proueniens, id quod debebas præstares? SOT. Sola animi mei nobilitas, dũ illum bene operari cerno, tanquã rẽ mihi condecentẽ ad hoc faciendũ cor impelleret. CAM. Congruit igitur nobilitati tuę vt ita facias. SO. Sic enim Thomæ placuit, cùm ait, In congruo æqualitas non inuenitur, sed solũ secundũ liberalitatẽ dantis munus tribuitur. CAM. Nil tu videras quod nobilitatẽ tuã moueret? SOT. Pueri periculũ, hominis adiuuantis charitatem, & leonis ferocitatem simul vidi. CAM. Debere te hæc putabas, quæ sponte fecisti? SOT. Maximè: quando illa vera nobilitas est, quæ cum præbet honesta, obligatã ad ea præstanda sese esse putat. CAM. Ergo præter debitũ condignum, debitum quoque nobilitatis ponis, dum per ea quæ

Optimum pro cõgrui merito exẽplum.

† Sen. 2. di. 27. o. 1. a. 3. c

cernis in leone, in homine, & puero, congruere nobilitati tuę iudicas, vt adiutoria enarrata illis pręstes: in quo congruum consistit, eò quòd minimè absque homine, leone, & puero, aliquid egisses. SO. Omnino. CAM. Quanto ergo fortius bonus Deus, qui charitas est, †præsciēs hanc hominis cum leone pugnam, ipsi homini opus morale bonum agenti, neque arma, hoc est Theologicas virtutes, neque dona spiritussancti, neque panē supersubstantialē Christum: vt eius merita participando, leonem, id est satanam, virtute occidat, propter bonitatē suam tanquam rem sibi Deo congruentem denegabit vnquam? Quod si dederis, hoc modo qui præmittitur, congruum debitum homini, ego esse dicam, nempe vt eum quem bene vsurum gratiis suis pręsciuit, è massa perditionis gratis segregaret, ac ei gratias suas ab æterno, secundū propositum præpararet. SOT. Quis neget congruū respectu Dei dari? hoc age, vt meritum hominis congruū mihi ostendas, & vicisti. CAM. Non sufficit tibi me ostendisse, propter ea quæ vidit in homine, hoc meritum, cōgruum dici? vis vt tibi apertius ostendam, hoc meritum congrui à Deo proficiscens, & hominis esse? Thomam audi, qui cùm de merito humano, quod in prædestinatione consideratur, ageret, verba hæc subiunxit, Vel congruo, sicut aliquis orando pro alio, meretur sibi gratiam primam.† SOT. Huius opinionis Thomas in lib. senten. multis in locis fuit: sed illam in sua Summa retractauit.† CAM

† *Ioan.* 4.

† 1. *sen. dist.* 41. *q.* 1. *a.* 4. *c.*

† *Sotus de nat. & gr. lib.* 2. *c.* 3.

Triginta & nouem annis, Thomę Summam persæpe legi: hoc tamen quod tu testaris, nunquam inueni: immò potius eandem sentẽtiam in epistola ad Hebręos Thomam confirmasse cerno, vt cõgruum, misericordiæ innitatur, condignum verò iustitiæ. †Et si ad Thomæ Summam regrediamur, multis in locis huius meriti congrui meminit†: Et in tertia parte, verbũ patris absque vllo merito cõdigno, sed secundum meritum congruum, incarnatum esse docuit: propterea congruum, quia sancti patres, desiderando & petendo, incarnationẽ meruerunt: quasi ob eorum orationes, quas Deus prę-sciuit, congruũ fuerit, vt Deus pro illo tempore exaudiret eos, qui ei obediebant, vt Christũ prædestinaret: †hoc enim ipsa scriptura testatur, cùm inquit: Propter miseriã inopum, & gemitũ pauperũ nunc exurgam. † & tamen prædestinatio Christi, atque verbi incarnatio, omniũ gratiarũ maior gratia fuit, ob meritũ congruum illo tempore condonata. Sat enim est Deũ aliquid in homine cernere, quo intuito dat, vt congruũ meritũ dicatur: quemadmodũ Caietanus post alios rectè ponderat, humilitatem Mariæ à Domino inspectam, hoc merito congrui, Christum portare meritam fuisse, iuxta illud, Quia Dominus respexit humilitatem ancillę suæ, ecce beatã me dicent omnes generationes. †His planè satis perspicuum redditur, congruũ meritum hoc, aliquid in homine præuisum ponere, ob quod Deus, tanquam ex secũda causa, quæ Dei

† Tho. in epi. ad Hebr. c. 6. lec 3. col. pa. in fin.

† 1. 2ª, q. 114. 5. o. 22ª. q. 177. 1. 3m.

† Tho. 3. q. 2. a. 11. c.

† Psal. 11.

† Caie. in 3. par. q. 2. a. 11. c.

voluntati accedit, vt eius volitum iustum sit, prædestinet SOT. Adiuuare prædestinationem factam iam, petitionibus nostris, aliud est quàm ipsius prędestinationis congruam causam esse. CAM. Quo modo, congruum est, Deum exaudire sibi obedientes, non solum præsentē obedientiā, præstantes, verùm etiam futurā pollicētes, cùm antè quàm gratiā infundat in hoc vel illo homine, gratiā proficere præscit: eodem quoque congruum fuisse subiungo: vt quos tales præsciuit, & prædestinauerit, gratias suas præparando, quas sine pœnitentia in tempore infundit.† SOT. Totum hoc nil quod hominis sit ostendit. CAM. Nónne hominis ille consensus est, quem primæ gratiæ oblatæ præstat? nónne hominis bonus vsus? vt hæc causa secunda, seu ratio voliti, vel causa ęqua, aut condecens in Deo sit, cur Petrum sua misericordia iustóque volito eligat, Iudam verò condignè reprobet? SOT. Sat mihi est, nunquam Thomam in sua Summa apertis verbis dixisse, hoc congruum debitum ipsius hominis esse. CAM. Audi quæso, quid Thomas in sua Sūma dixit: Videtur enim congruum, vt homini operanti secūdum suam virtutem, Deus compenset, secundum excellentiam suæ virtutis.† Vbi apertè ostendit, nō soli bonitati Dei sic meritum congrui adscribi, vt nulla ratio eius quod in homine cernitur, habeatur, prout tu imaginaris: ad quem sanè modum Scotus loquitur, attritionem fide initiata, de congruo, cōtritionis gratiam impetrare.† SOT. Hoc Pelagiani

† *Amb. c. 9. et omnes quos aceruaui sup. c. 7.*

† *12ª. et q. 114. a. 6. 3. c. & 6. c.*

† *Sco. 4. dis. 14. q. 2.*

contẽdebãt, vt poſito opere bono, Deus infallibiliter illos in gratiã reciperet†. CAM. Nõ quidẽ docto moratóque viro Soto conuenit, Scotũ, immò Ambroſium, & cæteros patres omnes, qui hunc præuiſum bonũ vſum cauſam prędeſtinationis eſſe tenent†, Pelagianos vocitare. Cur non animaduertis, Pelagianos naturæ vi, & auxilio generali, quaſi ab homine, id cauſari, mordicus ſuſtinuiſſe: Scotum autem non naturæ vi, atque auxilij generalis ope, ſed ſpecialis: quemadmodum perſpicuè lib. primo de Gratia & Libero arbitrio oſtendit†. Nõ quidem Auguſtinum contemnere poteris, dicentem: Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum ſint iuſtificati, digni efficiantur iuſtificatione†. Audi digni: & aut Auguſtinum abnega, aut tace: quandoquidem ſi gratis iuſtificamur, non aliud quàm congruum meritum hoc eſſe poteſt. Quod cùm ita ſit, in prima gratia, id ipſum & in prædeſtinatione fuiſſe fateamur neceſſe eſt, quãdo in nullo gratia à prædeſtinatione differt, niſi quia gratia eſt ipſa donatio: prædeſtinatio verò, ipſius gratiæ præparatio†. SOT. Quid reliquis teſtimoniis à me citatis tu reſpondes? CAM. Quid reſpõdere potero? Doleo equidem has vulgatiſsimas ſententias, quas mulierculæ quoque in ore habere ſolent, à Soto viro docto recenſeri, Non poſſe nos quaſi ex nobis aliquid cogitare. Sine me nihil poteſtis facere. Nemo prius dedit illi. Gratia non eſt, quæ gratis nõ datur. & id genus reliqua, quæ omnia meritum condignum præ ſe ferunt.

† *Aug. de bo. perſe. c.* 11.

† *Sup. c.* 7.

† *ca.* 10. *§.* 3

† *Aug. in li.* 83. *quæſt. q.* 68.

† *Augu. de præde. ſan. c.* 10.

CAPITIS OCTAVI. §. I.

Quo nomine appellanda sit causa hæc secunda sequens, præuisi boni vsus gratiarum Dei, quæ primæ causæ voluntatis suæ, in ipsa prædestinatione additur.

SOTVS, CAMERARIVS.

Causæ prædestinationis. *Causa efficiens.* *Causa finalis.* *Causa per accidens.* *Causa materialis.* *Causa motiua.*

CAVSA hæc congrua quam tu ponis, efficiens causa prædestinationis erit? CAM. Solus Deus causa efficiens est. SOT. Nũ finalis? CAM. Gloriam Dei, causam finalem esse aio.† SOT. Poterimus dicere causam per accidens esse ad gratiam primam, quæ nihil operatur†. Vel si ita placet, in genere causa materialis, à qua Deus non mouetur ad prædestinandum vel iustificandum† CAM. Causam secundam esse, qua proprio motu Deus mouetur, paulò antè probaui,† primæ voluntati ipsius Dei addendam. SOT. Contendis ergo, Dei voluntatẽ idcircò rationabilẽ esse, quia aliquid sit in Deo causa volendi. CAM. Nil voluntatem Dei præcedit, quod causa voluntatis suæ esse possit, præter bonitatem suam: sed secũda hæc causa, volũtati addita, quæ prima est, iustum Dei volitum facit, cur Petrum, non autem Iudam prædestinauit†. SOT. Quo authore causam hanc secundam primæ addis? CAM. De manu Regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem istam (Dominus inquit) & protegam vrbem istam, propter me (ecce causam primam vides) & propter Dauid seruum meum, qui est causa secunda†. Dic, quæso,

† *Ephe. c. 1. 1ª. Cor. 10.*
† *Tho. sen. 4. dist. 1ª. q. 1. ibi, Ad 4ᵐ. c.*
† *Rom. 4.*
† *in prin. c. istius. & c. 4.*
† *vt suprà, & c. 7. §. 4*
† *4. Reg. 20*

ô Sote, quid plus est, retẽto eodẽ cõsilio Dei stabili ac firmo, propter aliquam causam ab eo prȩscitam, ferre alicuius rei sententiam: an verò sententiam latam iam, retento eodem consilio, propter aliquod ab æterno præscitum, mutare? SOT. Mutare. CAM. Audi ergo, quid Dominus Ezechiæ dixit: Audiui orationem, vidi lachrymam tuam, ecce sanaui te: die tertio ascendes templum Domini, &
†4. Reg. 20 Isa. 38. addam diebus tuis quindecim annos†. quæ omnia ab æterno facta sunt, eodem retento consilio, licet
†22ª. q. 171 a. 6. 2m. nos aliquid mutari viderimus.† SOT. Quæ bona opera tu consideras circa gratiam primam? num illa quæ iustificationem præcedunt: an verò illa quæ iustificationem sequuntur? Vtram, mauis partem elige. Si enim dixeris præcedentia opera causam iustificationis esse, Pelagianus eris. Si verò sequentia consideraueris, quomodo causa primæ gratiæ erunt, cùm ipsa opera effectus primæ gratiæ sint, proindéque & prȩdestinationis? CAM. Quantum ad præcedentia opera attinet, Dei spiritu mouente, animam ad primam gratiam suscipiendam,
† Vide in li. 1. de gra. & lib. arb. c. 10. §. 3. & 4. de congruo, illis inspectis, præparari aio†: Nec propterea Pelagianus ero: siquidem illi, tanquam primæ gratiæ meritum, eorum opera proponebant: Ego autem aliter dico: nempe eadem opera quæ causa meritoria finis prȩdestinationis sunt, causam adhuc congruam esse, qua Deus ad prædestinandum, & primam gratiam infundẽdum moueatur. Siquidem quo modo Deus saluat te, eodem præ-

destinauit.† gratias præparando, quibus homo salutem, quam secundum misericordiam Deus ipse principaliter dat, secundario (vt aiunt) secundum iustitiam meretur. † Hoc sustinui cum aliis, hoc & tecum in capite precedenti. Neque censor meus eris: si ipsam hominis obedientiam, seu consensum proponã, quem præscit Deus antequàm primam gratiam infundat: nam tu quoque hoc affirmare soles? SOT. Hæc profectò nemo inficias iuit vnquàm, nec adeò poterit esse quisquam ingenio obtuso, vt hoc postremum neget. CAM. Habes igitur, venerande pater, quomodo opera futura bona præuisa, concausa congrua sint, quæ tanquam secunda causa diuinæ voluntati accedit, quæ prima est: vt quos taliter Deus bene vsuros suis gratiis præsciuerit, & prædestinauerit†: effectum autẽ omnium, sub quibus prima gratia cõcludatur, causam indirectam ipsum hominem fuisse. SOT. Quare indirecta? CAM. Quia non impedit quod impedire posset, † ita vt non eo nihil agente gratia intromittatur†. Vel, si ita placeat, causa sine qua nõ. † Quã si denique causam congruam mecum vocare nolueris, dic saltem causam æquam esse, vel causam condecentem, vel rationabilem. Dic vt vis, modò hoc vnum mente concipias, nempe Deum, qui generaliter omnes saluos fieri volebat, si ipsi salui esse vellent, addita prẹsciẽtia omnium futurorum, propter ipsam præscientiam boni vel mali vsus gratiarum, specialiter sua misericordia iustóque volito

Concausa.

Indirecta.

Sine qua nõ

Causa congrua.

Causa æqua.

Causa condecens.

Causa rationalis.

† *Tho. 1ª. q. 23. a. 5. ibi Sed contra.*

† *Vide inf. in Protestãte parte. 4. c. 1.*

† *Tho. Sen. 4. d. 1. ibi ad 4m. c.*

† *Tho. 3. q. 47. 1. c.*

† *Diximus ĩ li. de gra. & libe. ar. lib. 1. c. 8.*

† *Diximus suprà c. 1. §. 4. et c. 4.*

Petrum elegisse, Iudam verò condignè reprobasse. hoc enim agimus, hanc ob causam laboramus, vt causam inuestigemus iusti voliti Dei, quod ambo iustum esse fatemur. Vale Sote: & excusatum me habeto, si tuis principiis exclusis, reliqua quæ dicturus eras, non ausculto. Ecce hic reuerendissimus Caietanus, venerãdus Catherinus, Protestantésque multi adsunt, qui noua sua argumenta proponere venerunt, quibus omnia quæ diximus subuertere conantur: & cùm tecum de his disputauerim, quæ tecum differenda erant, ad illos me conuertam.

CAPVT NONVM.

Augustini sententiæ multæ hoc loco aceruantur, quibus Ambrosii opinionem sequutus est.

CAIETANVS. CAMERARIVS.

VNDE hæc audacia tua, vt posthabitis Augustino & aliis multis, te solum sapere putes? CAM. Absit vt hoc cogitem: indignum equidem eorum discipulum me esse existimo CAI. Cur igitur non siles? CAM. Nullum sanè verbum profero quod ab Ambrosij, Augustini, & Thomæ sententia abhorreat: neque aliud quæro, quàm Ambrosium, Augustinũ, & Thomã id ipsum sensisse, omnibus cõmonstrare. Quis enim scit, an ille qui asinam Balaę loqui fecit, concedat vt & ego bene aliquid loqui possim? CAI. Cælũ digito tãgere facilius tibi erit, quàm hos patres cõciliare. CAM. Quid mentẽ tuam solicitat, vt rẽ hanc impossi

bilē esse putes? CAI. Quę cōcordia inter Augustinū, & Ambrosiū, vllo vnquam tēpore imaginari poterit? Ambrosio, cum suis dicente, opera præuisa causam prędestinationis esse: Augustino verò, cū cęteris qui ipsum sequūtur, non esse? CAM. Quem in modū verba Ambrosij interpretanda sint, vt Augustino in nullo contradicant, iandudū fusissimè narraui.† †Sup.c.3. & 4.
CAI. Quid ad me de his quæ cum aliis disseruisti?
CAM. Præter ea quæ Augustini authoritate, congruum hoc, quo Deus ad prædestinandum mouetur, perspicuè probaui, † magna adhuc farragine †Sup.c.8. sententiarum Augustini, Ambrosij opinionem approbantis, sic te obruam, vt nulla loquendi facultas tibi relinquatur. sic enim ipse ait: [Quos enim Deus suos, fidei opere, futuros esse prænouit, hos prædestinauit ad gloriam.]† Audi fidei opera, quasi non ex operibus legis, sed ex fidelibus quæ præsciuit.† Et alio in loco, nō enim prædestinaret, nisi eum peccaturū præsciret. & paulò pòst, Nam prędestinatio non fieret, (prædestinationem pro ipsa reprobatione vsurpās) nisi offensio futura esset, quam offensionem qui præsciuit esse, offensionis vltionem vt iustus iudex prædestinauit. Ex præscientia igitur offensionis, prędestinatio emanauit vltionis: sicut ex præscientia virtutis, prędestinatio fieri solet remunerationis.† Et post pauca, Quos absque correctione, diabolicæ persuasioni militaturos esse pręsciuit, hos pro certo prędestinauit ad pœnā.† CAI. Nosti, Camerari, palàm Erasmū negasse, illum librū

†De præd. Dei c.5.
†Sup.c.6. §.1. et.c.7. §.3.
†De præd. Dei.c.3.
†De præd. Dei c.5.

Augustini esse. CAM. Eiusmodi deliria multa Erasmum dixisse, res omnibus nota est. CAI. Ratione ad hoc dicendnm mouetur. CAM. Qua? CAI. In primis quia Augustinus fortiter refellit prędestinationem esse ex operibus nostris. CAM. Sic euenire istis rhetoribus solet, qui etsi Theologiã non calleant, Theologi tamẽ videri volũt. Damnauit planè Augustinus illos, qui tenent ex operibus nostris prædestinationem esse factam: approbat quoque eos quibus placuit ex vocante propter opera fidelia præuisa dictum esse, quia maior seruiet minori:† quod in hoc libro confirmat. CAI. Secundo loco, breuitatem libri obseruat. CAM. Ignorare se fingit Augustinum, tempore quo librum de prędestinatione sanctorum scribebat, librum quoque Retractationum in manibus habuisse,† sicuti ipsemet fatetur†. quo fit, vt id quod in libro Retractationum Augustinus non declarauerat, tametsi in multis locis illud obiter dixisset, † libro illo paruo de prædestinatione Dei, his verbis, omnem disputationẽ concludẽs suppleuerit, vt in nullo ab Ambrosio suo magistro & spirituali patre, in hac prædestinationis quæstione dissentiret. Addat tamen Erasmus alias rationes mille, & ego vnico responso omnia excludam. CAI. Quo? CAM. Tibi imprimis, deinde Erasmo, postremò lectoribus omnibus apertè nunc ostendam, Augustinũ ipsi Ambrosio nominatim subscripsisse. Rursum nil in libro illo de prædestinatione Dei contineri, quod Augusti-

† Sup. c. 5. §. 3.

† De bono. persc. c. 21. et de præd. sanct. c. 3.

† In argumẽto lib. de præd. sanc.

† Dicemus paulò póst.

nus expressis verbis in aliis libris non scripserit, quos Augustini esse, Erasmus fatetur. CAI. Ambrosio Augustinũ subscripsisse, principiò audiamus: deinde reliqua. CAM. Sic ipse inquit, [Puto tamẽ eos qui de hac re sententias tractatorum requirũt, sanctos, & in fide Christiana, laudabiliter vsquequaque diffamatos viros, Cyprianum & Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere]. Audi Ambrosium & Cyprianum pro magistris eum principiò accepisse. deinde verò subiũgit, [& debere ad vtrumque, id est vt gratiam Dei gratuitam, sicut credẽda atque prædicanda est, per omnia credentes, per omnia prædicent: & eandem prædicationem prædicationi qua hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur aduersam.]† Quid vltrà optas? Num Augustinus insipiens, vt Ambrosio modum prædestinationis non intelligẽti detulisset, iubens vt quomodo ipse prædestinationem prædicabat, eodem ab aliis prædicanda esset? At quid pro præscientia malorum operum Ambrosio cõformis Augustinus addidit? Hæc quę sequuntur verba. [Quidam disputator catholicus, idcirco in Tyriis & Sidoniis miracula non esse facta declarat, quia præsciuit Dominus à fide fuisse postea discessuros, & grauiori pœnæ obnoxios futuros:†] ita vt præscientia mali vsus, causa denegandi primam gratiam fuerit, ne Euangelium prædicetur. Quòd si in prima gratia hunc in modum se habet, itidem in ipsa prædestinatione se habebit:

† *De bono. perſ. c. 19.*

† *De bono. perſ. c. 10.*

† De præd. san. c. 10. quandoquidem hæc, duo æqualiter iudicantur † ? Audi quæso Caietane, quid deinde idem Augustinus dixerit: [Non autem promisit fidem gentium, quam sibi homines faciunt: sed vt promitteret quod ipse facit, illa præsciuit homines esse facturos†.] Vbi & eorum quæ ipse facturus erat, & hominis consensus præscientiam, antequàm primam gratiam infunderet, Deum habuisse constat. Itaque & præparando gratias, eadem præsciuisse, cùm non aliter ab æterno illas præparauerit, quàm in tempore data sunt, Paulo dicente manifestata duntaxat esse.† Et alio in loco: [Deus ergo donat perseuerantiam vsque ad finem: Hoc Deus futurũ esse præsciuit: Ipsa prædestinatio est sanctorũ, quos elegit in Christo ante constitutionem mundi, vt essent sancti & immaculati in cõspectu eius in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum†. Perseuerare autem vsque in finem, bonum vsum gratiarum Dei complectitur, & præsciendo perseuerantiam, quæ Dei gratia, & hominis cooperatione futura erat, ipsum quoque bonum vsum præsciuit: itaque & prædestinauit. Vis hoc apertius cernere? Augustinum lege, quando super illis verbis, Miserebor cui miserebor, Ambrosium sequitur. † Quibus fit, vt tametsi in eodem loco Ambrosium negare prima fronte videatur, non tamen ipsum abneget, sed eos qui tenent, præuisa opera bona meritum condignum gignere: quod notorius Pelagianismus esset, ab Ambrosio nunquam

† De præd. san. c. 10.

† 2. Timo. 1.

† De bono. perse. c. 10.

† Rom. 9.

cogitatus. Hęc certè sola atq; firma ratio esse debet, vt dicamus, Augustinũ nũquã cõtra Ambrosiũ aliquid in re hac esse locutũ, nimirũ ꝙ Ambrosiũ vbique magnifacit. †Vis videre Augustinũ tacito Ambrosio illius verba ad amussim cõfirmasse? verba hęc obserua, [Nõ ergo elegit opera cuiusq; in pręscientia, quæ ipse daturus est,] de quib⁹ operibus solius hominis, Pelagiani gloriabantur: [sed fidem elegit in præscientia : vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui spiritum sanctum daret, vt bona operando, etiam æternam vitam consequeretur]†. Hoc enim si rectè expenderis, omnino silebis : quando non eam ob causam opera Augustinus excludit, vt ipsa quoque præscita à Deo non sint, qui omnium futurorum præscientiam habet: sed quia futura opera fidelia duntaxat prædestinãdo pręscit†. Id ipsum alio in loco his verbis confirmat, [An quisquã dicere audebit Deum non præsciuisse quibus esset daturus vt crederent?] Et paulò pòst :[Hæc prædestinatio sanctorũ nihil aliud est, quàm præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei†.] Rursum cùm de ipsis operib⁹ à Domino præparatis ageret, sic ait: [An fortè nec ipsa dicuntur prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nesciuit: Quòd si dantur, & ea se daturum esse præsciuit, profectò prædestinauit†.] Augustinum adhuc interrogemus, quare Christus prædestinatus iam, missus non fuit ab initio mundi, sed in medio annorum venit? Et mox respondebit, tunc venisse, quando homines plenè in illũ

† *De bon. perse. c. 19.*

† *De præd. san. c. 3.*

† *Dixi sup. c. 7. §. 3.*

† *De bono perse. c. 14. & iterum c. 19.*

† *De bono. perse. c. 17.*

† De præd. san. c. 9. crediturі erant†: quo audito, dic tu præſcientiam hanc, tanquam cauſam ſecundam, primę cauſæ voluntatis Dei additam fuiſſe, vt pro tali tẽpore Chriſtum in mundum aduenturum definiuerit: quod *† Rom. 1°. et ſup. c. 2.* prædeſtinare eſt. † Porrò nónne Auguſtinus ſuper illud Ioannis, quando dicit, Iſraëlitæ obcæcati iam non poterant credere, quærens quare non poterãt credere, ſic reſpondet: [Si à me quęratur, citò reſpõdebo, quia nolebant: Malam quidẽ eorum voluntatẽ præuidit Deus: & per prophetam prænũciauit *† Aug. Ioã. 12.* ille, cui abſcondi futura nõ poſſunt†.] Rurſum cauſam inquirens quare Deus hominẽ reprobatũ creauit, hoc pro cauſa Auguſtinus aſsignat, [quia præuidit quid de malis eorũ eſſet facturus: ſic eis reliquit, vnde & ipſi aliquid facerent, quod quicquid culpabiliter eligerẽt, illum de ſe laudabiliter operã- *† De gene. ad literam lib. 11. c. 9. de ciui. Dei lib. 11. c. 18. & li. 14. c. 27.* tẽ inuenirẽt†.] Siquis enim cũ Auguſtino hoc aſſerat, apertè pręſcientiã omniũ futurorũ cõfitetur, quã Auguſt. ibi & alio in loco palã fatetur†. Hãc enim præſcientiã intuens Auguſtinus, in hæc verba prorupit. [Si ergo hanc voluntatem tuam craſtinam *† De lib. ar. li. 3. c. 3.* nouit, & omnium hominum, ſiue qui ſunt, ſiue qui futuri ſunt, futuras præuidet voluntates: multomagis præuidet quid de iuſtis impiíſque ſit fa- *† Vt ſuprà.* cturus.] † Aliis præterea Auguſtini verbis vt hoc te- *† De bono. perſe. c. 17. ibi an fortè et ibi, Cum hæc et alia.* neam adducor, cùm inquit illos præſcitos eſſe, quos deinde liberat & coronat. † Et denique te rogabo, an homo vocatus poſſit non accedere?

CAI. Quando ſecũdum propoſitũ vocatur, ſemper

accedit. CAME. Quid ſecundum propoſitum vocare eſt? CAI. Alta vocatione, vt non contradicat. CAM. Sit adeò alta, vt cœlum è terra digito tangat: num propterea Deus inæqualis prouiſor, qui omnes congruenter vocat?† nunquid tunc abſque Libero arbitrio accedet? CAI. Minimé. CAM. Ergo ex hoc intellige, ꝙ tametſi Deus plus vni quàm alteri ex gratiis ſuis conferre poſsit: non propter altitudinem vocationis, quaſi vi homines accedant (qui alioqui ſuo libero arbitrio gratiã refutare poſſunt†) ſecundum propoſitum vocari dicantur: ſed quia in duobus pariter vocatis, vnum neglecturum gratiam à generali prouidentia ei oblata prȩſciuit, quem propterea ſecundum propoſitum non vocauit. Alterum verò conſenſurũ præſciuit, & idcirco ſecundũ propoſitũ prædeſtinauit, illáq; vocatione vocauit, de qua dicitur ſine pœnitentia ſunt dona Dei.† Quid dicã, ô Caietane, aduerſus illos qui hoc meritum cógrui Auguſtinũ ignoraſſe cẽſent? Quid enim Ambroſius dixit? CAI. Neminem damnat antequàm peccet, neminẽ coronat antequã vincat. CAM. Nónne vtrunque Auguſt. dixit, cùm ſcripſit, Deus perpetuò iuſtus remunerator, aut damnator eſt?† Vis apertioribus verbis penes Auguſtinũ hoc legere? Sic enim ipſe ait: [Non prius Deus ipſe eſt vltor, quàm aliquis ſit pecccator†.] Auguſtinũ lege, qui cùm Donatiſtas eam ob cauſam reprehenderet, quia nolebant ea credere, quæ de eccleſia prophetæ prædixerant, nempe Eccleſiam in toto mũdo eſſe propagandam, ſic eſſe impleta hominum

† *Aug. ad Simp. li. 1°. q. 2. dixi ſuprà. c. 6. §. 3*

† *Dixi de gra. & lib. arb. li. 1. c. 8.*

† *De bono. perſ. c. 13.*

† *De actis contra Fœlicem lib. 2. c. 3.*

† *Aug. ſuper Gen. c. 24.*

voluntate, qui eam voluerunt: hunc in modum eis respondet. [Quis insanissimus dixerit, futuras hominum voluntates Deum nescire? Cur ergo hoc potius non prænunciauit quod de volũtatibus hominum sciebat esse futurum? Et paulò pòst, cùm de Iuda & Petro loqueretur, subiunxit: Ideò fuit de istis certa prędictio, quia & Deus etiã futuras præuidet voluntates.†] Potuít ne apertius Augustinus ostendere, præuisa opera bona, prædestinationis cõgruam concausam esse, reprobationis verò condignam? Ad hæc verba illa Augustini addam, quibus conformis Ambrosio, quæstionem hanc apertis verbis declarat. sic enim ille inquit: [Cur enim est improbatus Esau, nondum natus, qui nec credere poterat vocanti, nec contemnere vocationem, nec boni vel mali aliquid operari, sine præscientia Dei malæ voluntatis eius? Cur non & Iacob præscientia Dei approbatus est futuræ bonæ volũtatis eius? Quod si semel concesseris, potuisse quẽquam approbari vel improbari, ex eo quod nondum in illo erat, sed quia Deus futurum esse præsciebat: conficitur, eum potuisse etiam ex operibus approbari, quæ in illo Deus futura esse præsciebat, quanuis nondum esset aliquid operatus. Et omnino te nihil adiuuabit, quod nondum nati erant, cùm dictũ esset, Et maior seruiet minori. Vt hîc ostendas non ex operibus dictum, quia nondum quicquam erat operatus. †] Memor perpetuò verborum illorum Augustini esto, [vlla sua futura esse dona, &

† *Aug. de vnit. eccl. c.9.*

† *Aug. ad Simpl. q.2.*

quæ danda essent, & quibus danda essent, quæ Deus præscire non potuit, ac per hoc prædestinatos ab illo esse.†] Audi, ac per hoc vt causam prædestinationis à præscientia ortam cernas. Iísque rectè expensis, si mille adhuc Augustini sententiæ afferantur, quæ præuisum bonum vsum gratiarum Dei, causam prædestinationis non esse dicerent, vnico responso illas respue: quippe Augustinum ex homine causam hanc oriri, quæ voluntatem Dei antecedat, perpetuò negasse: sequentem verò præuisam, à qua nihil, quod hominis sit, in Deum emergat: immò potius, vt ex hoc, Deus illud velit, admisisse.† Et denique duo ex his quæ dixi vt memoriæ mandes, rogo. Alterum cùm dixit, [Non autem promisit fidem gentiū, quam sibi homines faciunt: sed vt promitteret quod ipse facit, illa pręsciuit homines esse facturos.†] Alterū, vt animaduertas, nunquam Augustinum congruum meritum exclusisse, sed condignum: hac sententia omnia cōcludens: [Debitam pœnam reddi damnato, indebitam gratiā liberato.†] quod apertius cernes, si verba illa Augustini legas, [Cernitis autē procul dubio cernitis, quāta manifestatione Apostolici eloquij defendantur hæc gratia, cōtra quam merita extollunt humana, tanquā homo aliquid prior det, vt retribuatur ei :†] his sanè verbis perspicuè vides humana merita Augustinū perpetuò exclusisse. Dic quæso, Caietane, cur Paulus ad Ephesios,† cùm omnia enarrasset, quæ Deus prædestinādo fecit, cuncta

† *De bon. pers. c. 17.*

† *Aug. de bon. pers. c. 17. Dixim⁹ su. c. 4. §. 1.*

† *Aug. de præd. sanc. c. 10. et 18.*

† *Aug epi. 105. col. 2. et de præd. et gra. c. 14*

† *De præd. sanct. c. 18. et de præd. et gra. c. 16.*

† *Eph. 1.*

in Iesum Christum referens, confestim subiunxit:[In quo & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius.] paulò verò pòst: [In quo & vos cùm audissetis verbum veritatis, Euangelium salutis vestræ credidistis.] Rursum, [In quo & credentes signati estis spiritusancto?] CAI. Auditor esse volo. CAM. Augustinum audias quæso, cui placuit non propterea Paulum gratias egisse, quia Euangelium eis annunciatum fuerit, sed quia crediderunt: ac credendo signati spiritusancto fuerunt.† CAI. Quid ex his contendis? CAM. Gaudebo & ego cum Augustino, in hoc cõtextu legere, minimè tunc Ephesios spiritu sancto fuisse signatos, quando Euangelium fuit annunciatum: sed quando crediderunt: vnde hoc consequens necessariũ emergit, nempe, vt cùm gratia & prædestinatio pari passu ambulent:† gratia eo modo quo collata fuit in tempore, eodem ab æterno fuerit præparata: non vt vocatis duntaxat daretur, sed vocatis credentibus, pro quibus illas præparauit. quod perinde est, ac si diceremus, quos obauditu-ros præsciuit illos prædestinauit: vti Ambrosius docet, cui Augustinus subscribit. Vtinam Caluinus adesset, vt vel taceret, vel saltẽ se ab Augustino nec syllaba discedere, asserere non auderet.

†*De præd. sanct. c. 19.*

†*De præd. sanct. c. 10.*

CAPITIS NONI. §. I.

Meritum congrui, in prædestinatione, Thomam & Scotum cogitasse, Caietanus negat.

CAIETANVS. CAMERARIVS.

CVR neque Thomas, neque Scotus, cùm de prædestinatione agerent, huius motus congrui meminerunt? CAM. Ea lege, quæ Soto iandudũ ostendi.† tibi planè, Thomæ opinionem satis apertam videbis, qui causas enumerans, in quibus Dei adiutores in ipsa prædestinatione sumus, hanc causam congruã promerentem primam gratiam, aceruauit†. CAI. Vbi scilicet pro alio quis orat. CAM. Sat est, voce hac congrui, in prædestinatione vsum fuisse. Quòd autem in persona propria idẽ sit, præter ea quæ cum Soto dudum dixi, paulò pòst Thomæ sententias, id ipsum sentientis auscultabis. Interim verò Scotum lege qui de prædestinatione agens, Henrici opinionem, id ipsum sentientis affert, à qua denique ipse non discedit.† CAI. Nónne ab ipsa discedere videtur, quando in §. Contra istud Petrus, sic ait: nec mirum quod non ponitur similis processus prædestinationis & reprobationis, quia bona attribuũtur principaliter Deo: mala autem nobis: & ita Deũ prædestinare sine ratione, congruit bonitati suæ: sed velle ipsum damnare, non videtur illi immediatè posse attribui, respectu obiecti, vt cogniti in suis puris naturalibus: sed tantum respectu obiecti vt cogniti in peccato mortali finali. CAM. Pro nobis opinio Scoti est, quia non dicit, sine ratione cõgruit bonitati suæ prędestinare, id est absque vlla causa: sed verba illa, sine ratione, pro merito con-

Scotus pro nobis.

† *c.8.*

† *p°. sent. dist.41.q.1.a.q.4.c.*

† *Sco. lib. 1. sent. dist. 41. §. ista igitur improbans.*

digno vſurpat: volens ſecundum meritum condignum obſtinatũ damnari, non autem ſic electum prædeſtinari : ſed ſecundum quod congruit bonitati ſuæ. Audi vocem congruit, vt congruum proponi in ipſa prædeſtinatione videas: Non quidem res noua eſt, Scotum in Deo cauſam congruam poſuiſſe, ijs qui Scotum in manibus habere conſueſcunt. Vni Henrici argumento tu reſponde Caietane, ſi potes. CAI. Cui? CAM. Communi ſententia, duo omnes Theologi concludunt. Alterum, in omni opere Dei miſericordia referto, iuſtitiam perpetuò concurrere:† Alterum, quod Auguſtinus vbique recenſet, nempe iuſtiſsimo iudicio Deum nos prædeſtinare†. CAI. Dem iſta. CAM. Confeſtim ille ſubiungit, aliquam eſſe congruentiam ex parte illius qui eligitur, quæ non eſt in perſona alterius qui non eligitur. Itaque ſicut ex parte prędeſtinati aliquid ponitur, quod additur voluntati Dei reprobantis: itidem aliquid addatur voluntati Dei prædeſtinantis†. Manent nãque ipſę duæ prouidẽtię ſimul, quarũ altera generaliter miſericordiã, altera generatim iuſtitiã oſtẽdũt: quib⁹ hę duę cauſę nõ tanquã illę quę Dei voluntatẽ prędedãt, ſed quę ſequãtur, ex parte hominis aliquid præſcitũ, primæ cauſę voluntatis Dei addũt, vt iuſto volito ſpecialiter Petrum prædeſtinet, Iudã verò reprobet. Hoc enim aliqui ignorãtes, & voluntatẽ Dei in genere, quæ in ordine prouidentiæ conſideratur, cùm voluntatem Dei in ſpecie, quæ in ordine prædeſtina-

Præuiſus bonus vſus cauſa congrua prædeſtinationis eſt, mala verò cauſa cõdigna reprobationis.

† *Baſi. pſal.* 114.

† *Augu. de bon. perſeu.* c. 11.

† 1. *ſen. diſ.* 41. *ibi, Iſte igitur.*

tionis manet, quadam miſtura confundentes, ſe & reliquos in maxima confuſione reliquerunt. Hic tamen ſenſus verus, ne ſummoto hoc congruo, partialem ipſum Deum faciamus, cur noluerit iſtius, ſicut illius miſereri. Cui rationi etſi ſufficiat reſpondere, Deum in gratia nemini debitorẽ eſſe: †neſcio tamen quid prę ſe ferre videtur, quod populo durũ audire eſt, vt abſque cauſa alterũ pręſtinet, alterum ſaluet. & via daretur, vt dyſcoli adhuc dicerent, ſi ita eſt, omnia neceſſariò eueniunt: cùm autem ab ipſa pręſcientia, diuerſas oriri cauſas cernent, omnino ſilebunt. Dura quidem res eſſe videtur, vt Sotus propterea quòd hoc cõgruum Scotum inueniſſe autumat, Pelagianum eum eſſe dicat: tu verò Caietane, hoc congruum Scotum nec ſomniaſſe cenſeas: & tamen ambo docti viri eſtis.

† *Scotus 4. ſen. q. 3. col. 2. ibi, hic quatuor.*

CAPITIS NONI. §. II.

Hoc loco non ſolum congruum Thomam admiſiſſe oſtenditur, verum etiam Ambroſio omnino ſubſcripſiſſe.

CAIETANVS, CAMERARIVS.

CVR Thomæ in hac re tanti momenti penitus oblitus es? CAME. Quomodo oblitus? CAI. Vt quo modo cum Scoto & aliis diſputaſti, eodem cum Thoma diſputaſſes. CAM. Cum nil diſputatione dignum, contra Thomam habeam, Et hoc meum inſtitutum ſit, nempe vt cum illis diſputẽ, qui vel penes

noſtros, vel penes proteſtantes, alicuius nominis ſunt, ac noſtræ huic concluſioni aduerſantur: idcircò Thomas à me præteritus videtur. Non quidẽ opus inſigne nobilis, doctíque Theologi Domini Claudij Eſpencæi, obliuioni tradidiſſem, ſi huic noſtræ ſententiæ, immò potius catholicorum patrũ contradiceret. Hoc tantum abeſt, vt cum nominalibus concertare voluerim. CAI. Quid cauſæ. CAM. Quia loqui potius ob mundi gloriam, quàm veritatem pro animæ ſalute inuenire laborant. CAI. Thomæ ergo authoritate, hãc à te propoſitã concluſionem, diſputare profiteris. CAM. Ambroſius, meus auriga eſt, cuius ſententiam Auguſt. & Thomę authoritate cõfirmo: atque ab his edoctus, cęterorũ argumenta diluo. CAI. Nónne Thomas opera præuiſa non eſſe cauſam totius prædeſtinationis ſuſtinet? † cuius contrarium tu tenes. CAM. Auguſtinum ibi, cõtra Pelagianos Thomas ſequitur, dum ait præſcientiam hanc, condignam cauſam, totius prædeſtinationis, vel omnium effectuum in communi, eſſe non poſſe. CAI. Quis iſthuc tibi reuelauit? CAME. Verba Thomæ, qui principio articuli illius, talem titulum inſcripſit: Vtrum præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis. Rurſum quia in ipſis argumentis, perpetuò de cauſa condigna tractat: pręſertim in corpore, vbi principaliter Pelagianos cõdemnat. Inter quæ, ea ego maximè obſeruo, quę in ſolutione primi argumenti ſcripſit, inquiens, vſum gratiæ bonũ

† *Tho. 1a. q. 23. a. 5. et 1o. ſen. diſt. 41. q. 1. a. 3. c.*

prę∫citum, non e∫∫e rationē collationis gratiæ, ni∫i ∫ecundum rationem cau∫æ finalis. quod perinde e∫t ac ∫i diceret, Opera quæ ∫unt cau∫a meritoria gloriæ, non ∫unt cau∫a meritoria primæ gratię: quemadmodum idem Thomas alio in loco ∫eip∫um declarat, cùm dicit, Vnde ponere quòd aliquod meritum ex parte no∫tra præ∫upponatur, cuius præ∫cientia ∫it ratio prædeſtinationis, nihil e∫t aliud quàm gratiā ponere, dari ex meritis no∫tris, principiúmque bonorum operum e∫∫e ex nobis, confirmationem verò ex Deo†. Id planè quod dixerat in Summa, cùm ait, Et ∫ic impo∫sibile e∫t, quòd totus prædeſtinationis effectus in communi habeat aliquā cau∫am ex parte no∫tra.† Audi, ex parte no∫tra. Non autem negat quin id quod ip∫e præ∫cit in homine, cau∫a ∫equens voluntatem Dei non ∫it, cur iu∫to volito Petrum, non autem Iudam prædeſtinauit. Præ∫cientia quidem vrget, quæ prædeſtinationem pręcedat, ∫ine qua, ∫ecundum Thomam, prædeſtinare non poterat†. Nō quidem præui∫um bonum v∫um gratiarum Thomas negauit, qui alio in loco dixit, prædeſtinationem quandam rationē ordinis aliquorum in ∫alutem æternam e∫∫e, in mente diuina exi∫tentem†: quando ∫i ratio ordinis e∫t, ordo ip∫e omnem ordinem cōprehendere pote∫t. CAI. Cur potius verba Thomæ in ∫olutione argumenti tertij non ponderas, vbi po∫tquàm cau∫am in communi enarra∫∫et, quippe Deum idcirco quo∫dam prædeſtina∫∫e, quo∫dam verò reproba∫∫e;

† *Tho. Ro. 8. lect. 6.*

† *1a. q. 23. c. 1m.*

† *Rom. 8. lect. 6.*

† *1a. q. 23. a. 2. c.*

quia adhuc decens erat, se iustum & misericordem esse, ex æquo ostēdere: in particulari verò pro causa, solam voluntatem Dei præposuit. CAM. Sic & nos tenemus. sed quia iusta ipsa voluntas est, hanc iustitiam quærentes, à præscientia futurorum omniū oriri, eiusdem Thomę authoritate affirmamus. CAI. Vbi? CAM. Probo hoc in primis, ex verbis Thomę in eodem loco, cùm dixit, Sicut autem saluos nos fecit, ita prædestinauit nos saluos fieri.† pro quo Pauli sentētiam affert, cùm inquit, Salutem absque operibus à Christo nobis condonatam esse† cui alia verba Pauli addenda sunt, cùm ait, Et vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra: sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia, manifestata est autem nunc, per illuminationem saluatoris nostri Iesu Christi.† Vbi perspicuè cernis, id quod factum est ante tempus, eodē modo manifestatum esse in tempore, sicuti Paulus alio in loco hoc declarat, inquiēs, Quos prædestinauit, vocauit, iustificauit, glorificauit, † quę simul iuncta, Thomæ sententiā apertè probant. Cùm enim sic locutus est, & alibi dicat, Dei misericordia principaliter nos saluari, & secundariò propter iustitiā nostram, satis apertè docuit, ipsam iustitiam, quæ prima causa salutis non est, secundam congruam causam ipsi Deo fuisse, vt Petrum non autem Iudā prædestinauerit: ita quidem, vt volitum Dei, dum prædestinauit, ex præsciētia futurorum iustū fuerit,

†Tho. pª. q. 23. ar. 5. ibi, sed contra.

†Ad Titū. 3.

†2. Timo. 1.

Rom. 8.

Sicut saluos nos fecit, ita præ destinauit.

iustum quoque dum saluat, propter hominis quoque meritum cum gratia cooperantis, quemadmodum iamiam dicemus. † Ad hæc alteram Thomæ doctrinam addam, quam in tertia parte pro fundamento locat, nempe præscientiam omnium futurorum, prædestinationem præcedere.† euidentissimè docens, hanc præscientiã futurorũ, causam prædestinationis esse, in quo, Ambrosio subscribit. CAI. Falsa doctrina illa est, si omnium futurorum præscientiam, prædestinationẽ præcedere sentiat. CAM. Non quidem possum virtutem atque insignem scientiam tuam hac ætate non extollere, vt nemini tuo seculo cedere debueris, tibi autẽ multi: sed ille melancholicus humor, quem ego diu in te permansisse noui, in causa fuit, vt quædam, licet pauca, in senectute tua dixeris, quæ pro veris à ceteris doctis viris minimè recipiuntur. Augustinum audi obsecro, cuius verba sic habent. Nam confiteri esse Deum, & negare præscium esse omniũ futurorum, apertissima insania est.† CAI. Partẽ futurorũ, quantum ad prædestinationem attinet, præscit. CAM. Tuum est hoc probare, aut silere. CAI. Tu quoque cum recentioribus quibusdam contemptui me habes? CAM. Bono animo esto, Caietane, nec dubites nomen tuũ magnum, etsi in paucis erraueris, ab aliquo lædi posse. Sic enim Tertulliano, Origeni, & aliis multis sapiensissimis viris euenisse legimus. CAI. Cur igitur excachinnant? CAM. Quis scit an illi propterea te floccifaciant, quia eis datum non

† *Infrà in Prot. parte 4. c. 1.*

† *Tho. parte 3. ar. 3. 4m.*

† *De lib. ar. lib. 3. c. 3.*

ęſt conceptus tuos capere? At rogabo ego, vbi illa conſueta modeſtia tua? vbi Thomæ Angelici doctoris ſcientia ſtabilis & firma, vt tu modo illam falſam dicere non erubeſcas? falſáne hæc Thomæ
†Illos.c.7. aceruaui. partitio erit, quam omnes patres ſequuntur?† aut Auguſtinũ in citato à me loco negare vis, cui placuit, Dei pręſcientiam omnium futurorum eſſe?†
†De li.ar. lib.3.c.3. Cur non potius tua falſa, dum exemplum omnium futurorum vt pręſciri non poſsint, in Petro saluãdo ponis? Auguſtini immemor, qui paulò pòſt, ſequentia verba addidit: Si enim voluntatem tuam craſtinam nouit, & omnium hominũ, ſiue qui ſunt, ſiue qui futuri ſunt, futuras præuidet voluntates: multo magis pręuidet quid de iuſtis impíiſque ſit
†Vt ſuprá. facturus.† CAI. Nónne Thomas illorũ opinionem reſpuit, qui dicebant, idcirco alicui Deum gratiam daturũ, quia præſciuit eum bene vſurũ gratia, ſicut ſi alicui militi, Rex eam ob cauſam equũ daret, quia
†1.q.23.c. ſcit eo bene vſurũ.† CAM. Ponderanda, non autẽ deglutienda verba Thomæ ſunt, qui de merito hominis futuro diſputat: quærens an aliquid ex homine in Deũ referatur, quod à libero arbitrio hominis, à gratia ſegregato, oriatur: hoc quidem vnà cum Thoma nos negamus. Cur Thomã non legis, ô Caietane, quando dicit, quod tametſi Dei volũtas cauſam non habeat, niſi finem voluntatis ſuæ, tamẽ effectus voluntatis eius, ſcilicet ipſum volitum, or- *Volitum.*
†1.diſ.41.q pª.a.4. dinatum ad bonitatem ſuam, poteſt procedere ex aliqua cauſa quam Deus præſciuit ab æterno†. Cur

alteram Thomæ doctrinam negligis, vbi id intueberis quod ego dixi: nempe præuisionem aptitudinis vasis in gloriam, causam prædestinationis extitisse? Hæc enim illius verba sunt: Prædestinatio respectu primi effectus, scilicet gratiæ, rationem magis liberalitatis quàm iustitiæ habet: quia gratia datur gratis, & non redditur meritis: vnde ex parte recipientis non est assignare causam, quare dignus sit gratia, sed solũ dispositionem quandam naturalem, per quam præparamur ad gratiæ susceptionẽ.† Audi dispositionem, quę idem est quod aptitudo prædestinatione haudquaquam digna: quãdoquidẽ ex parte recipientis, nil dignum adest: quo fit, vt causa secunda congrua, dispositio ipsa hominis pręuisa, ad prędestinandum sit. Sic enim intelligendo, præscientia omnium futurorum, non solum quæ in se ipso Deo, verùm etiam eorum, quæ in homine præscit, prædestinationem præcedit:† tametsi ex hoc non sequatur, actus nostros, siue primam gratiam præcedant, siue sequantur, ipsius prędestinationis primam causam esse. Deinde verò suam doctrinam in quęstionibus disputatis tradens, iubet, vt minimè dicamus, opus nostrum causam esse voluntatis diuinæ, neque etiam donationis gratiæ, sed solum liberalitatem quandam, quatenus debitor suæ voluntati est, non autem inquantum rebus debitor est.† Quæ verba aureis literis scribenda sunt, vt omne debitum quod ex homine in Deum considerari potest, omnino ex-

†Tho. in q. disputatis q. 6. a. 2. c.

†Tho. in tertia parte q. 1. a. 3. 4m.

Deus volũtati suæ debitor est.

†Tho. in quæst. disp. q. 6. a. 2. c.

cludatur: quanquam ex his quæ Deus in homine vidit, ſibi ipſi debitor ſit: quaſi in illum proponat Deus gratiam infundere, quem ſcit ſe ad gratiam præparaturum.† CAI. Abſit me velle Thomæ doctrinam falſi accuſare: diſtinguendam eſſe potius contẽdo, ne falſa reddatur. CAM. Res ſatis dura eſt, partitionẽ tuã, Thomæ verbis accõmodare: ſiquidẽ tu, inter ea quæ ante prædeſtinationem & poſt eam præſciri poſſunt, diſtinguis: ac illa dũtaxat futura quæ prædeſtinationem præcedunt, ante prædeſtinationem præſciri contendis: quod Thomas non ſenſit: ſed contrà, orationes ſanctorum, quæ prædeſtinationem ſequuntur, tanquam ipſius prædeſtinationis executionem, ante prædeſtinationẽ præſcitas eſſe†. Non quidem apertius hoc decidere Thomas potuit, quando dixit duas voluntates in Deo adeſſe, antecedentem nimirum & conſequẽtem: quarum ſecunda, id eſt voluntas conſequens, præſcientiam operum præſupponit, non tanquam cauſam ſuæ voluntatis, ſed quaſi rationem voliti†, ſicut paulò antè dixi. Porrò quid huic argumento, ex Thomæ doctrina ſumpto, reſpondere tu poteris? Cùm enim Thomas ipſam prædeſtinationem & reprobationem, quidnam eſſent, nobis oſtẽdere voluiſſet, ſic ait: Sicut enim prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam: ita reprobatio includit voluntatẽ, permittendi aliquem cadere in culpã, & inferendi damnationis pœnam pro culpa†. CAM. Quid ex his verbis inferre vis?

† *Amb. ad Rom. c. 9.*

† 1°. *ſent. diſt.* 41. *a.* 4. *c.*

† 1. *ſen. diſ.* 41. *q.* 1. *ar.* 11. *c.* 1*a*. *parte. q.* 19. 5. 0. *q.* 23. 5. *c. quæ. diſpu. q.* 6. *c.*

† 1*a*. *q.* 23. *a.* 3. *c.*

CAM. Nempe vt Deus, qui casum reprobatorum, anteq̃ eos reprobasset, præsciuit: ac proinde iustè eos tanquã illos reprobauit, qui oblatas gratias respuere debebãt: cùm duę partes, altera nimirũ damnatorũ, altera prædestinatorũ adessẽt, si quosdã idcircò reprobauit, quia præsciuit esse casuros: itidem pręsciuerit reliquos, qui oblatas gratias essent suscepturi: vnde cógrua causa secũda oritur, suæ volũtati qua voluit omnes saluos fieri, addẽda, itaq; propter vtranque prædestinauerit. Hæc quidem prius à te expendenda erant, quàm Thomam falsum doctorem esse putares. Quis enim Augustino contradicat dicenti, iusto iudicio Deum omnes prædestinare?† CAI. Placuit magistro sententiarum, hãc sententiam Augustinum retractasse, quando alteram retractauit: quippe, fidem, causam meritoriam prædestinationis esse†. CAM. Fabulæ. Scotum ibi legito, qui magistrum iustè condemnat.

† *De bono perse. c. 11.*

† *1. sen. di. 41. ibi, Sed cõtra, ĩ fine*

CAPITIS NONI. §. III.

Duas Caietanus Thomæ doctrinas affert, quæ præmissis contrariæ esse videntur.

CAIETANVS, CAMERARIVS.

NÓNNE tu idcirco onus hoc sustinuisti, vt Ambrosij opinionẽ præuisi boni vsus gratiarum defenderes? CAME. Ita est. CAI. Aut ergo Thomam dum verba Ambrosij explicat, tu abnega: aut te illum non intellexisse, confiteri ne erubescas. Sic enim Thomæ

† In quæstionib⁹ de veritate. q. 6. ar. 2. 1m.

verba habent†[Ad primum ergo dicendum, quòd debitus gratiæ vſus, eſt quoddam ad quod diuina prouidentia, gratiam collatam ordinat. Vnde non poteſt eſſe, quòd ipſe rectus gratiæ vſus præſcitus, ſit cauſa mouens ad dandum gratiam. Quod ergo Ambroſius dicit, Dabo illi gratiam, quem ſcio &c. non intelligendum eſt, quòd perfecta cordis conuerſio ſit, inclinans voluntatem ad dandum gratiam: ſed quòd datam gratiam ad hoc ordinet, vt aliquis accepta gratia cõuertatur ad Deum.] CAM. Noſti Caietane, non aliam ob cauſam ordinẽ illũ à Thoma eſſe ſeruatũ, vt antequàm reſpondeat, quędã in corpore ſtatuat, niſi vt ab illo reſpõſa deinde robur accipiant. CAI. Ita eſt. CAM. Thomæ itaque ego ſubſcribo, cui in corpore placuit, neque præuiſum bonũ vſum hunc, neque aliquid quod præcedat vel ſequatur, cauſam meritoriam eſſe poſſe, quæ ipſam Dei gratiam, bonitatem, voluntatémque præcedat. CAI. Neque congruam. CAM. Fateor neque cõgruam dari, quæ primam cauſam voluntatis Dei ſic præcedat, vt propter hominis plenam conuerſionem, tanquam à prima cauſa, Deus ad dandum moueatur. Hoc enim Thomas ſenſit cùm dixit, [Perfectam cordis conuerſionem inclinantem ad dandum gratiã non eſſe, quin potius vt à gratia homo conuertatur ad Deũ.] quod Deus præſciens proprio motu & voluntate, quæ prima cauſa eſt, prædeſtinat. CAI. Cur igitur fruſtrà laboras, ſi præuiſus bonus vſus cauſa præcedens vo-

luntatem Dei, non est? CAM. Non quidem frustrà laboro, dum hoc assequi conor, nempe vt intelligas, Thomam, qui nil Dei voluntatem antecedere probat, simul dixisse, præuisum hunc bonum vsum gratiæ, causam secundam esse, primæ coniungendam, qua iustũ Dei volitum reddatur, quare si omnes sua prouidentia saluos esse voluit, quosdam antequàm essent, prædestinauit, quosdam verò reprobauit. Hoc Thomam tenere, paulò antè probaui, hoc in præsentia cõfirmo, propter hæc verba quę sequuntur: [Contrà est quod dicitur, &c.] quibus de merito condigno se loqui apertè ostendit. CAIE. Hæc alia Thomæ verba in corpore scripta sunt: [In his quæ ex liberalitate procedunt, tantum causa volendi est ipsa superabundans affectio volentis ad finem, in quo ostenditur perfectio bonitatis ipsius. Vnde causa prædestinationis nihil est aliud, quàm bonitas ipsius Dei.]† CAM. Rectè quidẽ Thomas. CAI. Ergo tu malè. CAM. Optimè & ego. CAI. Qua ratione? CAM. Persæpe dixi, nil ex homine oriri, quo homo Deum ipsum quasi debitorem suum impellat, sicut sequentibus verbis Thomas explanat. [Quod tamen debitũ non ostẽdit Deum rebus, sed suæ voluntati, ad cuius expletionem debetur, id quod dicitur procedere, secundum debitum ab ipso.] bellè his verbis congruum ostendens, in his quæ Deus spõte homini confert. CAI. Tendit debitum illud in executionem voluntatis suæ. CAM. Tendit & istud, vt voliti sui

† *In loco citato.*

iustitiam ostendat. CAI. Quid huic alteri Thomæ doctrinæ† tu respondere vllo vnquam tempore poteris, cùm ait, causam in communi, quare pars altera è massa perditionis tracta fuerit, altera verò non, reddi satis commodè posse: quippe vt in his quos trahi, suam misericordiam ostendat, in his quos nō trahit, iustitiā exerceat.† In particulari verò se nullam inuenire posse. CAM. Sensim progrediamur quæso, vt tandem Thomæ sententiam intelligere posis. CAI. Perge. CAM. Verba illa Thomas declarat, quæ Dominus dixit: Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum.† CAI. Ita est. CAM. His alia eiusdem Domini verba addamus, cùm paulò pòst ait: Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. CAI. Quid tum deinde? CAM. Quid Thomas quęrit? CAI. Obiectionem illam è medio tollere conatur, quam dyscoli proponere solent. Dixit Dominus, Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Mihi ergo imputandum non est, si ad Christum non venio, sed Patri qui me nō trahit. CAM. Quid hisce hominibus Thomas respondet? CAI. Minimè per Deum stare quin veniant, quandoquidem ipse omnibus vt veniant manum porrigit, sed ipsi venire nolunt. CAM. Vnicuique in particulari? CAI. Hæc Thomę verba sunt in particulari loquentis. Ex quo ergo Deus paratus est dare omnibus gratiam, & ad se trahere, non imputatur ei, si aliquis non accipiat, sed ei qui non accipit. CAM. Nil cōtra ea quę hactenus dixi, ille proposuit. CAI. Quasi

†Ioā. 6. q. 3.

†Rom 2. ibi iis & c. 9. ibi, Quòd si Deus volens ostendere.

†Ioan. 6.

euestigiò, rationem inquirens, cur quidam è massa perditionis trahantur, quidam non trahantur, sic ait: Ratio quidem in generali potest assignari, vt vt scilicet in illis qui non trahuntur, appareat, & refulgeat ordo diuinę iustitię: in illis autem qui trahuntur, immensitas diuinę misericordię.†CAM. Hęc ratio communi cõsensu assignatur, cùm quæritur, Cur Deus permisit Adamum peccare. CAI. Audi quid sequitur. Quare autem in speciali trahat hunc, & illum non trahat, non est ratio aliqua, nisi beneplacitum voluntatis diuinę. CAM. Miror certè diuum Thomam, qui non solum in generali, verũ etiam in particulari, rationem paulò antè reddidit, quare tractus non veniat, nunc illius memorẽ non esse. CAI. Augustinũ ille affert, cui nec etiã quærendã hanc rationẽ esse placuit. CAM. Perpetuò Augustinus, rationem in Dei voluntate, à nobis non esse inuestigandam inquit: & rectè. siquidem ratio nũquam quærenda est voluntatis Dei, ex parte eius: at nõ propterea sequitur, vt quærẽda non sit ex parte voliti, propter aliud.†CAI. Exemplũ addit hominis cõstruentis domum, qui lapides collocat secũdum voluntatem suam. CAM. Et hoc quidem detestabilius, quando homo habens consensum, à Deo vocatus, qui omnes vocat vt veniãt ad Christum, lapidi nequaquam cõparandus est. Memór ne tu es, Caietane, eorum quæ Augustinus in libro ad Simplicianũ dixit, quęrens cur Deus cum præsciret ex duobus cõgruenter vocatis, alterũ venire, alterum

†Rom.2.cõiunctis verbis c.9. ibi, Quod si Deus volẽs ostendere.

†Tho. pª. q. 23. a. 5. c.

non, eum qui non venit, ſic non vocauit, vt veniret? protinus reſpondet, minimè potentiā defuiſſe, ſed voluntatem. Et cùm denuò quæreret, cur noluit? reſpondet, Vt in illo particulari homine obdurato, ſuam oſtēderet iuſtitiam†. Quid iſtud, vt Deus qui omnes vocat, deinde nolit? Non quidem aliud niſi inter voluntatem antecedentem & conſequētem diſtinguere, vt ſua præcedenti voluntate ex ordine prouidentiæ, voluerit & Iudam ſaluare: voluntate autem conſequenti, quæ ex ordine prouidentiæ prædeſtinantis procedit, propter futura quæ in Iuda præſciuit, illū voluerit reprobare.† CAI. Bellè ergo Thomæ doctrinam reſpuis. CAM. Abſit. CAI. Quid igitur Thomas ſenſit? CAM. De cauſa condigna Thomas agit, quærens an aliqua cauſa condigna poſt peccatū Adami in Deo fuerit, cur quoſdam traheret, quoſdam non traheret, cùm omnes æqualiter peccauerint. Qua in re cum Thoma dicere cōpellimur, vt tametſi ipſe præſciuerit nō omnes vēturos, nihilo tamen ſecius filiū ſuū miſerit, qui vt omne quod perierat ſaluaret, duplici vocatione vteretur: altera qua etiam non venientes vocaret, quam ſimplicem vocationē appellamus: altera verò vocatione cum propoſito, qua prędeſtinatos qui veniūt vocat.† CAI. Quid ſi neque Auguſtinus neque Thomas id ſenſerint, quod tu excogitas? CAM. Illos tu interroga, vt quid ſenſerint, tibi reſpondeāt. Ego verò non feram, hos patres Eccleſię columnas adeò hallucinatos eſſe, vt veritatem hanc, quam verbis

† *Ad Simplicianum lib.1.q.2.*

† *Vide quæ dixi ſup.c.7.§.1.*

† *De præd. ſanct c.13. & 19.*

exprimunt,mente non senserint. CAI. Quid si cõstaret? CAM. Magis mihi amica ipsa veritas esset, quam sacræ scripturæ testimoniis, atque omnium patrum communi opinione probaui, illísque consentirem, qui aliquando dixerunt, Augustinum, & Thomam, in hac quæstione persæpe variasse.

CAPITIS NONI. §. IIII.

Infallibilem Dei prædestinantis præscientiam, salutis, vel condemnationis hominis, cum libero arbitrio coniungi, sacræ scripturæ testimoniis probatur.

CAIETANVS. CAMERARIVS.

ARDVA mihi dubitatio, ab humano ingenio fortasse insolubilis occurrit, quam si non explicaueris, integer hic tuus libellus inutilis erit.† CAM. Age quæso, dic cito, quid istuc est, quod animum conturbat tuum? CAI. Quod humanũ ingenium, infallibilitatem præscientiæ Dei prædestinantis, cum libertate arbitrij, coniungere poterit? CAM. Animaduerte Caietane, ne similis ei sis, qui ex proprij ingenij imbecillitate, alienas vires metitur. CAI. Ignarum hominem me esse reris? CAM. Apprimè doctum te esse scio: sed vereor ne, vt soles, aliquid contemplari cœperis, quod in chimærã deinde resolutum fuerit. CAI. Quædã prius, vocabulis scholæ vtens, præmittam, quibus commodius id quod mentem meam perturbat, intelligere tu possis. Scis enim aliud esse A[1], contingenter euenire: aliud esse A[2],

† Cai. p[a]. q. 22. a. 4. p[m].

† Aug. hac voce ineuitabiliter vtitur de li. arb. lib. 3. c. 2. prope fi.

necessariò euenire: aliud esse A', infallibiliter † seu ineuitabiliter euenire. CAM. Perge. CAI. Dico igitur, tam primũ, q̃ secundũ, ordinem effectus ad causam in actu positam continere, quæ ad vtrumlibet potentiam habet, qua de re ab ipsius causalitate, vt ita loquar, deficere non potest, quæ contingenter se ad vtrumlibet habet. Sed si tertium oculis præponamus, quoniam ea quæ contingentia alioqui in se sunt, necessariò diuinam prouidentiam sequuntur, infallibiliter in actu, seu ineuitabiliter positam: hinc fiet, vt ea quæ considerata sua causa contingenter sequebantur, ob hanc ineuitabilitatem prouidentiæ Dei, necessariò sequantur. CAM. Causam ostendas, quæso, cur contingens quod cum necessario coniungi posse fateris, cum ineuitabilitate connecti non posit. Tua quidem adinuẽtio hæc est, Thomæ, immò communi Philosophorũ Theologorúmque doctrinæ contraria. CAIE. In quo? CAM. Omnes, te vno excepto, ea quoque quæ diuina prouidentia prouidentur, modò contingẽtia, modò necessaria sic esse inquiunt, vt infallibiliter & necessariò id eueniat, quod diuina prouidentia infallibiliter & necessariò euenire disponit. contingenter verò id quod diuinę prouidentię ratio contingenter euenire ordinat †, spreta hac infallibilitate, Deo iam nota, quam tu solus contemplaris. CAI. Quanquam prima fronte, intellectus propter hæc Thomæ verba quiescere videatur, quatenus ipsas res contingentes consideramus: fluctuat ta-

† Tho. pª. q. 22. a. 4. c. pᵐ

men circa connexionem prædictæ infallibilitatis cum libero arbitrio: immò, vt rectius loquar, cum libero euentu ipſarum operationum, quas liberas dicimus. Hoc opus, hic labor, Camerari. CAME. Longum commentum tuum, accuratè legi: idcircò longum, quia cùm ea contemplamur quæ non ſunt, multiloquio non caremus. Vis quidem eo modo quo Auguſtinus & alij, iuſtam eſſe voluntatem Dei prædeſtinãtis, ſed hanc iuſtitiã eos ignorare aſſerunt: itidem & tu, liberum arbitrium confiteri, ea tamen libertate, quæ ſoli Deo nota ſit, qui infallibilitatem euentus cum libero arbitrio connectere poteſt. CAI. Non quidem de ſingulis dubitare inutile eſt, præſertim cùm nil in Thoma vel aliis adhuc legerim, per quod illorum authoritate fretus, dubium hoc enucleare poſſim: præter quędam vulgaria, ſenſus diuiſi & compoſiti, neceſsitatis conſequentiæ & cõſequentis, libertatis electionis diuinæ in æternitate, & naturę cauſarum, ad vtrumlibet in vniuerſo inuentarum: quę ſi ad amuſſim, vt proponuntur dedero, minimè id pręſtabunt quod in pręſentia inquiro, nempe vt modum oſtẽdant, quomodo infallibilitas & libertas, ſimul manere poſsint. CAM. Si hęc quę paucis verbis deglutiſti, longa meditatione à te digeſta fuiſſent, aliter profectò diceres quàm dicis. CAI. Vtinã aliquod ſcripturæ teſtimonium, vel patris orthodoxi ſententiam aliquã tu in mediũ promeres, quibus dubitationem hãc meam indignam eſſe pateat. CAM.

Augustini memorem te esse reor, cùm ait, Inter gratiam porrò & prædestinationem hoc tantùm interest, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò iam ipsa donatio, ipsiúsque prędestinationis effectus†. CAI. Memini. CAM. Innumerabilia itaque tum scripturæ testimonia, tum Augustini & aliorum patrum sententias, à me in libro de gratia & libero arbitrio coaceruatas, legere poteris, quibus gratiam cum libero arbitrio perpetuo nexu ad bonum coniuncta manere ostẽdi: vt idem esse in ipsa quoque prædestinatione deinde fatearis. CAI. Nullum ex argumentis tuis, hanc dubitationem tollit. CAM. Nónne chimæram hanc à Manichęis inuentam, longa disputatione cum Caluino habita, dum hoc necessarium ipse proponebat, multis argumentis, sacræque scripturæ testimoniis, & Patrum authoritate exclusi? CAI. Absit me Manichæis subscribere. consilium nanque Dei mihi incognitum confiteor, quo liberum arbitriũ cum infallibilitate hac ipse cõnectit. CAM. Minimè id quod tu credis, sed potius id quod ecclesia confitetur, inquiro. Dic amabo, Caietane, an Deus id quod infallibiliter erit, ita fore ab æterno præsciuerit? CAI. Omnino. CAM. Hoc iacto fundamento, apertissimè hanc tuam contemplationem in chimæram resolutam esse ostendam. CAI. Quapropter? CAM. Sciuit certe Deus Abimelech infallibiliter restituturũ Saram Abrahamo viro suo: & tamen in potestate illius posuit, vt summa cum

† *De pred. sanc. c. 10.*

libertate vel pœnas comminatas dando Saram penes ſe detineret, vel pollicita præmia conſequendo eam reſtitueret. † Quibus iam vide, hominis opera vſque in finem tanquam contingentia, libero hominis arbitrio operari. Ad hæc multa alia ſcripturæ teſtimonia afferre poſſem, quæ breuitatis cauſa taceo. ſat eſt videre, Deum eſſe, qui tanquam cõtingentia hæc Abimalech proponit. Vis Caietane, vt cauſam huius tui erroris tibi oſtendam? CAI. Matura. CAM. Hæc ſanè fuit, quia non animaduertiſti, opera mala hominis ſolius eſſe: pœnã item, ſolius Dei authoritate infligi: itidem & bona opera, ipſius Dei eſſe, & hominis cum gratia cooperantis: gloriam verò ſolum Deum dare. CAI. Tyronibus quoque iſthæc nota ſunt. CAM. Ergo tuus error fuit, propter infallibilitatem eorum quæ ſolus Deus ſaluando vel condemnando ineuitabiliter facit: opera hominis contingentia, quæ præmium vel pœnam præcedunt, in contrariam naturã conuertere. non quidẽ ab eo quod ſolus Deus neceſſariò, ſeu infallibiliter facit, cùm hominem infallibiliter punit vel ſaluat, ad id quod homo operatur, argumẽtari licebat: quando ſi pœna vel remuneratio ineuitabiliter ſequitur, ea tamẽ ob quæ homo punitur, vel præmium conſequitur, ineuitabilia, aut infallibilia ipſi homini inſpecta natura rerũ nõ fuerunt, ſed potius contingentia, antequàm fierent erant: tametſi poſtquam facta ſunt, ex ſuppoſitione neceſſaria ea ratione dicantur, quia id quod eſt, neceſſe eſt eſſe. CAI. Deus vnum vidit: ergo illud

† *Gen.* 20.

erit. CAM. Conſequentiam hanc, multis de cauſis ex parte Dei cuius æternitas nulla temporis circũſcriptionẽ metitur, vt ponitur, falſam eſſe iamiam oſtendam. † CAIE. Hoc ſaltem ex parte hominis ſic eſſe, negare haudquaquam poteris. CAM. Aut enim prout ſunt, in homine ipſas operationes cõſideras: & tunc neque antequàm fiant contingentia eſſe, neque poſtquam facta ſunt, ex ſuppoſitione neceſſaria dici, inter nos diſcrimen aliquod adeſt. Aut ex parte Dei hanc præuiſam infallibilitatem proponis: & quia in eo, neque præteritum, quia hoc ordinauit: neque futurum, id eſt propterea ſic erit, admitti poteſt: ſatis vana omnia redduntur. nam id ordinat, quod tunc penes eum actu eſt, eo quo æternitas ſua totum tempus ambit: hominem in ſui arbitrij poteſtate reliquens. ſic enim Adamũ puniuit, cuius culpam libero cum arbitrio præceſſiſſe, etiam ipſi Lutherani nõ negant, quem in ſtatu iuſtitiæ liberum arbitrium habuiſſe fatentur: tametſi infallibiliter id fore Deus ſciuerit. Reliqua in diſputatione cum Proteſtantibus habenda ſupplebimus.

† In Prote. parte 2.0.

CAPVT DECIMVM.

Catherini doctrinam reſpuit.

CATHERINVS. CAMERARIVS.

LABORES meos aliquando tu legiſti, Camerari? CAM. Legi. CAT. Quid mihi reſpondes, præuiſum bonum vſum gratiarum neganti? CAM. Illis reſponſum dedi, à quibus fermè omnia tu accepiſti, quæ in medium producis. CAT. Nemo quidem ante me

de ipſa certitudine ſalutis prædeſtinatorũ egit, qui duas ſpecies prædeſtinationis dari ſuſtinui. CAME. Aliquid ratione ſuſtinere, vel delirare, duo ſatis cõtraria ſunt. Maiora vrgent Catherine: non poſſum tecum diſputando tempus conterere. CAT. Conterere, ha? CAM. Quis tecum diſputare eligat, qui eas doctrinas pro te affers, eas præterea impugnas, quas non intelligis? CAT. Quænam iſtæ ſunt? CAM. Multæ, quas paulò pòſt minutatim explicabo. †Quis enim ferat, vt Thoma dicente, prouidentiã Dei ſub vniuerſo omnia ſic prouidere, vt ab ea nec illa quę neceſſariò agerent, nec illa quæ contingenter, nec infallibiliter, aut ineuitabiliter eſſent, excluderentur: tu mox contemplari cœperis, illam duntaxat eſſe certam prædeſtinationem, quæ cauſas certas & infallibiles habet? ſimul cauſas prædeſtinandi, quas antea negaueras, confitens: & Deũ ignorantẽ faciẽs, vt illum prædeſtinauerit, quẽ non ſaluari prę-ſciuit: immemor Auguſtino & Thomæ placuiſſe, prædeſtinationẽ abſque præſcientia ſtare non poſſe†. CAT. Quid tu, qui has duas prędeſtinationes irrides, Thomę reſpõdebis, cùm ait, Deũ nulli deeſſe, quin paret vnicuique media idonea, quibus valeat quiſque cõparare ſalutem? †CAM. Non tamen dicit omnes eſſe prædeſtinatos. CAT. Nónne gratia hæc eſt quę offertur? CAM. Vtique. CAT. Ergo præparata ab æterno. CAM. Hanc conſequentiam nego. CAT. Quã ob cauſam? CAM. Quoniã hęc generalia dona, vnicuique etiam reprobato oblata, à prouidentia generali ſimplici procedunt, & fruſtrari facto ho-

†In hoc capite, & in Proteſtante parte. 2. c. 4.

† Aug. de præd. ſanc. c. 10. Tho. Rom. 8. lec. 6.

†Cont. gẽt. c. pen.

†c.p.§.4. minis possunt, vti suprà latius deductum fuit. †non autem à prouidentia prędestinationem tanquam partem subiectiuam sub se continente procedunt, †Sup. c.4. quæ suum finem necessarium habet. †CAT. Tu meã doctrinam eam ob rem damnas, quod malè Thomam intellexerim: ego verò tuam, quia Paulum non intelligens, de ipsa prædestinatione loqui voluisti. CAM. Quoniam is qui magistro se nõ agere asserit, ignorationis morbo laborat: qui tanto grauior est, quanto quod morbum sanitatem esse existimat: rem mihi gratissimam efficies, si charitate refertus, meos errores corrigere volueris. CAT. Si me audisses, cùm principio dialogi huius, de significatione vocabuli prędestinationis tractasti, intellexisses vtique, vocem prædestinare, hoc modo vsurpandam esse, nempe vt electi præ aliis singulari quodã priuilegio in vitam æternam destinentur, de quibus Paulus loquitur, cùm ait: Quos prædestinauit, vocauit, iustificauit, glorificauit. CAM. Si Pauli verba, hoc tuo nouo sensu intelligenda essent, hoc tu ex Paulo intelligeres, vt quidam præ cæteris non destinentur, qui sub conditione prędestinati quoque sint. CAT. Optimè mentis meæ sensum animo cõcepisti. CAM. Rogabo ego, an priuilegium hoc singulare, non solum in eo consistat, quòd præ alijs mittantur, verum etiam quia vocantur, iustificantur, prædestinantur. CAT. Hæc omnia simul priuilegium hoc singulare complectitur: siquidẽ damnãdi non hoc modo, sed sub conditione vocantur.

CAM. Primum prædeſtinandi ordinem à Paulo explanatum (vti patres noſtri obſeruãt) apertè cerno: alterum quem proponis, mihi oſtende, ſi potes. CAT. Argumenta à me coaceruata legiſti, quibus hanc meam opinionem probaui? CAM. Farraginẽ illam magnam argumentorum tuorum legi, qua vocatos ſic vocari probas, vt ſi velint veniãt. CAT. Quomodo ſub conditione etiam damnandi vocãtur vt veniant, ſi prædeſtinati non ſunt? CAM. Hoc errorem tuum apertè oſtendit. CAT. Quapropter? CAM. Quoniam aliquem non prædeſtinatum ſimplici vocatione vocari, ab alia vocatione cum propoſito qua ipſos prædeſtinatos vocat, diſtinguere neſcis.† Ea legas rogo quæ hactenus ſcripſi, & tace. †Sup.c.1. CAT. Magno imperio vt taceam iubes. CAM. Dic rogo Catherine, an Paulus principio epiſtolæ ad Romanos tria vaſa propoſuerit, vel duo†? CAT. Alterum iræ, alterum gloriæ. †c.2. CAM. Cur igitur tria tu proponis: primum eorũ qui ſpeciali priuilegio electi ſunt: aliud eorum qui tali priuilegio non electi vocati venerunt: & tertium damnatorũ? CAT. Datũ eſſe modũ damnatis vt venire poſsint contẽdo. CAM. Hæc duo, quippe reprobatos eſſe tempore prædeſtinationis ab ęterno factæ, ſimul & prędeſtinatos, ſub conditione ſatis contraria ſunt. CAT. Cur igitur vocantur? CAM. Propter prouidentiam ſimplicẽ, quę omnes quoque ſpeciatim, ſicut iandudum dixi, vocat. CAT. Cur illã prouidentiã conſideras tẽpore iſto, quo prędeſtinatio iam facta eſt? CAM. Quia poſt

prędestinationē, vtraq; prouidētia executa fuit, Adamū in iustitia creādo, & Christū mittēdo, qui multos in genere secundū prouidentiā generalem, simplici vocatione vocauit, quosdam verò specialiter

† Aug. de præ. san. c. 3 prędestinatos, cum proposito †: vnde factum est, vt multi sint vocati, pauci verò electi. Animaduerte, rogo, eodē modo reprobatos reprobari, quo Iesus in iudicio vniuersali in duas non autem in tres partes omnes homines diuidens, ipsos reprobabit: ne dicamus aliter factam esse prædestinationem,

† Tho. 1. q. 23. a. 5. ibi, Sed cōtrá. dixim. sup. quàm iudicium vniuersale fiet†. Non quidem in hac re audiendus es, vt dicas, Deum quosdam ab æterno elegisse, quosdam reprobasse, quosdam in suspenso tenuisse: vel sub conditione, nisi resipiscerent, reprobasse: ne fateri compellaris Deum in tempore discere. Denique, num prædestinationem dare poterimus, quam præscientia origine non præcedat? Quod si ita est, num præscientia Dei incerta? Fabulæ, Catherine. CAT. Reliqua aggrediamur. CAM. Omnino mihi expedit, vt te inauditum dimittam. CAT. Quam ob causam? CAM. Illos quidem nobiles Senēses videre nunc videor, qui egregiè pugnis certant, dum te, cum Thoma, cum Caietano, & cum Soto, non sacræ scripturæ testimoniis, non patrum authoritate, non ratione, sed pugnis potius concertare cerno. CAT. Esto tu quartus. CAM. Cum nerui manuum mearum, brachiorúmq;, chiragra cōtracti sint, satius mihi esse cēseo, vt tuos pugnos euadā. Sotū lege, qui iustè te corripuit: eúmq; cęteri legāt, ne librū ex libro faciamus.

PROTESTANTIS

PARS PRIMA.

CAPVT PRIMVM.

Dialogi istius methodus.

CAMERARIVS, PROTESTANS.

NÓNNE cum vno ex vobis, de prędestinatione hominis disputare, satis fuisset? PROT. Quinque ad hoc destinati sumus: quorũ vnus hic venerandus senex est, qui primus sedet: & in mandatis habet, vt vnumquęque nostrũ, certũ propriæ prædestinationis se esse, tibi ostendat. ego vero secundus sum, qui scholarum argumentis, vt te confundam venio. Hic alter, qui post me sedet, patrum vestrorum authoritate te superabit. Quartus deinde, sacræ scripturæ testimoniis, ori tuo silentium imponet. Quibus explicatis, quintus qui post nos venit, Reprobati personam induens, à necessitate voluntatis Dei, suam damnationem processisse ostendet. CAM. Si tu tacere volueris, cęteros libenter audiam. PRO. Qua ratione me excludere potes? CAM. Nónne bella res hæc est, vt qui in scholas, eam ob causam

Quid causæ vt tot Protestãtes mecum disputare venerint.

perpetuò debacchamini, quia in torculari veritatis, veſtras falſas adinuentiones comprimunt, illas nũc ſequi velitis? Scholaſticorũ libros habetis, illos legite, ne horum aures, qui aſtãt ſubtilitatibus Scholarum offendamus. PRO. Niſi ſingulos audias, omnes ſimul recedemus. CAME. Incipe igitur tu ſenex, ea omnia quæ aduerſum me habes, palàm coram omnibus recenſere.

CAPVT SECVNDVM.

An certi, nos eſſe prædeſtinatos, ſimus.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

MARTINVM Lutherum tu ſequeris, cui placuit, vnunquemque fideliũ ſuæ prædeſtinationis certum eſſe? CAME. Ipſe primus ſua manu, hoc venenum in cõcluſo eccleſiæ horto, ſerere nixus fuit. PRO. Cur non potius axioma ſanctum, hoc eſſe affirmas? quãdoquidem omnis renatus, in lauacro regenerationis, pignus ſpiritus habet æternæ ſalutis. CAME. Verborum illorum memor es, Multi ſunt vocati,
†*Math.20.* pauci verò electi.† PRO. Memini. CAM. Conſtat igitur aliquos eſſe vocatos, qui initium fidei, cùm baptizantur habuerint: nec proinde electos eſſe. PRO. De his Ieſus loquitur, qui vocati credere noluerunt. CAM. Quiſquis ergo ſemel credidit, ille ſaluus eſt? PRO. Omnino, ſi à fide non excidat.
† *In lib. de iuſti. impij.* CAM. Cum ſententiã hanc falſam eſſe, alibi oſtẽderimus†, ſatis ſcire nunc ſit, neque omnes circun-

cisos esse saluatos, sicuti Saulis historia docet†: ne- †1.Reg.c.
que omnes baptizatos, vti Petrus testatur, cùm ait, 28.
Melius illis fuisse non cognoscere viam iustitiæ,
quàm post agnitionem, retrorsum conuerti, ab eo
quod illis traditũ est sancto mãdato†. Audi, sancto †2.Pet.2.
mandato, quod minime in sola credulitate consi-
stit. Hoc enim & Paulus docet, cùm Deum qui ex
æquo iustus, & misericors est, †nõ solũ vt iustus sit, †Basi.Psa.
eos punire ait, qui inserti non sunt: verùm etiam 114.
eos qui inserti iam, deinde fracti sunt: ita quidem,
vt nõ infidelitate dũtaxat, sed aliis quoque modis,
à bonitate in qua manẽt, excidãt. Sic enim ipse ait:
Vides ergo bonitatẽ & seueritatẽ Dei: in eos quidẽ
qui ceciderunt, seueritatẽ: in te autem bonitatem
Dei, si permanseris in bonitate. alioqui & tu exci-
dêris.† PRO. Obiectum fidei, veritas est. CAME. †Rom.11.
Hoc Dionysius docet.† PRO. Qui ergo in Christũ †Dionysius
credit, falli non potest. CAME. Frustrà igitur de diui.no-
iram Dei aduersum fideles scripturæ comminantur. mi.c.7.
PRO. Malè tu hæc testimonia applicas. CAM. Quid
causæ? PRO. Vult tunc Deus, vt ad bonum quod
nobis offertur conuertamur, hoc est vt credentes
quia Deus bonus est, bonum nobis oblatum susci-
piamus, per fidem Iesu Christi, per quem peccato-
rum veniam, iustitiam, & ęternam salutem conse-
quimur. CAM. Caluini verba hęc sunt, quæ eius ex
capite promanant. PRO. Quid tu illis respondes? †Cal.ĩ sua instit.
CAM. Fidelibus planè Paulus loquebatur, cùm dixit:
Cum timore & tremore vestram salutẽ operamini.† †Philip.2.

Fidelibus inquam, quibus minimè sub hac condi-
tione salus promissa est, si corde ad iustitiã credere
†*Rom.*10. cœperint, & semel ore ad salutem Christũ cõfitean-
tur: †sed si vtrumq; perficientes, opus iustificationis
†*1.Cor.* 13. ad mortem vsque consummarent: † ita vt veritate
& Matth. comite audiamus, Hoc fac. Si hoc facies. Si illud
10. *&* 24. nõ feceris. Vita viues, morte morieris. † quæ quidẽ
† *Diximus* longè à Caluini sensu distant. PRO. Admonet tunc
in lib.3.de lib.arb.c.7. scriptura, vt quod bonũ est operemur. CAM. Simul
tamẽ talis naturæ ipsam iustitiã gratuitã esse docet,
†*Tho.1.dist.* vt à consecutione finis deficere possit. †PRO. Iusti-
40.q.4.a. ficati ex fide, pacem habemus ad Deum (Paulus in-
1.c.et patet 2.Pet.2. quit) per Dominum nostrum Iesum Christum, per
quem habemus accessum per fidem in gratiam istã
Rom.5. in qua stamus, et gloriamur in spe filiorũ Dei. †CAM.
Non tamen dixit, ita pacem hanc nos habere, ac
fide stare, vt à gratia per peccatum infidelitatis, se-
cundum vos, vel secundum nos propter omne mor-
† *Dixi de* tale peccatum, excidere non valeamus. †PRO. Paulò
grat.et lib. pòst subiungit, spem nostram non confundi. CAM.
arb.lib.1.c. Quid pro causa addit? PRO. Quia charitas Dei dif-
8. fusa est in cordibus nostris, per spiritũ sanctum qui
datus est nobis. CAM. Duo in verbis his obseruanda
sunt: Alterũ nimirum, in plurali numero, eam ob
causam Paulum esse locutũ, vt totius Ecclesiæ fidẽ
ostendat, quæ certa est Dei spiritũ in se regnare. sic
enim alio in loco eandẽ ob causam simili modo lo-
quitur, cùm ait: Non spiritũ mundi accepimus, sed
spiritũ qui ex Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata

ſunt nobis†: & in alio, Non accepimus iterũ ſpiritũ †1.Cor. 2.
ſeruitutis in timore, ſed adoptionis ſpiritum, in
quo clamamus Abba pater.† Quibus verbis certam †Rom.8.
eſſe Eccleſiam Paulus docet, de donis quæ membris Eccleſiæ iuſtis, data ſunt in ſpe: nos autem in particulari hoc tantum ſcimus, nempe iuſtis eſſe data: in quibus ſi omnẽ ſpem in particulari reponimus, ſpes ipſa noſtra culpa, cùm iniuſti efficimur, poſſet fruſtrari. Alterũ verò, quòd præſenti tempore vtatur: diffuſa eſt, datus eſt. nõ autẽ dicit diffuſa fuit, datus fuit. & hoc quidẽ, vt manentẽ charitatẽ oſtendat, quæ in Eccleſia in æternũ manet,†non autẽ in †Ioã.14.b.
vnoquoque noſtrum, in quibus extingui poteſt. † †1.Teſſa.5.
Da igitur tu, ſic te certum eſſe, ſicut Eccleſia eſt, ſpiritum ſanctum animã tuam habitare, vt perpetuò tecum maneat vſque ad mortem, & te certò prædeſtinatũ eſſe prædica, talémque ſpem nunquam te cõfundere: quod ſi neſciueris, tace. PRO. Incerta ergo Dei dona ſunt. CAM. Certa & infallibilia ex parte Dei, nõ autem ex parte cordis tui, quod te ſic fallit, ſicut vos, Anabaptiſtas fefelliſſe prędicatis. ſic enim prophetas deceptos eſſe vidimus, qui cultris
& lanceolis propriũ ſanguinẽ ſatanæ cõſecrabant.† †3. Reg.c.
PRO. Ab Eccleſiæ igitur opinione, ſalus noſtra pẽ- 18.
det. CAM. Fidem implicitam, quam vos negatis, in libro de hominis iuſtificatione apertè oſtendi. PRO. Sunt quidam, qui ſpem ſaltem certam eſſe cenſent, tametſi fides incerta ſit. CAM. Sanctiores Dauide hi ſunt, qui poſt adeptam ſpem, cùm dixiſ-

ſet, Memor eſto verbi tui, in quo mihi ſpem dediſti: in ſequenti octonario pauere cœpit. PRO. Incerta ergo & ſpes. CAM. Certò vnuſquiſque ſperat: ſed an ipſa ſpes fallax ſit, ignorat. rurſum an vera ſpes, mutetur in dies. Quid iſtud, ô Proteſtantes, vt ſymbolum Athanaſij palàm approbetis, verba in eo contenta minime intelligentes? PRO. Quid ille dixit? CAM. [Hæc eſt fides catholica,] ipſam Eccleſiæ fidem cum Iacobo† commonſtrans. deinde verò ſubiungit [quam niſi fideliter firmitérque quiſque crediderit] Audi quam fideliter crediderit, vt per has voces, nos in particulari catholicam fidē credere oportere cernas: quando is fideliter credit, qui cum Eccleſia catholica cui vnitur credit. Quod ſi ita ſe habet, & nemo aliter ſecundū Athanaſiū ſaluus eſſe poteſt, dicite quæſo, quā veſtrę prędeſtinationis certitudinē vos Proteſtāes habere poteſtis: qui non modò Eccleſiæ catholicæ fidem nō creditis, ſed ab ea apoſtataſtis? Quid porrò hoc eſt, vt nunquā vobis ipſis conſtetis, & modò certi, modò incerti eſſe vellitis? Nónne Achilles veſter Caluinus, in hæc verba prorupit? Sentire hanc diuiſionem pium pectus, quod partim ob diuinæ bonitatis agnitionem, ſuauitate profunditur: partim ob ſuæ calamitatis ſenſum, amaritudine angitur: partim in Euangelij promiſſione recumbit: partim ſuæ iniquitatis teſtimonio trepidat: partim vitæ apprehenſione exultat: partim mortē perhorreſcit. † Nónne & Martinus Lutherus c. 2. ad Rom. incerta

† Iacob. epi. c. 5.

Caluini cōfeßio.

† In ſua inſtitu. Pag. 101.

Martini confeßio.

opera nostra esse fatetur? Nónne ipsi Apostoli trepidarunt, ac trepidando suam fidem modicam fecerunt?† Nónne Paulus alio in loco dicit: Tu autē fide sta, noli altum sapere, sed time†? PRO. Cur igitur Paulus inquit, Quis ergo nos separabit à charitate Iesu Christi? Et paulò pòst, Certus sum enim, quia neque mors, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro?† CAM. Certus erat Paulus in singulari, neminem posse nos in plurali, id est Ecclesiā Iesu Christi, à charitate eius separare. Qui si pro se locutus fuisset, minimè adhuc eam ob causam errasset, quia gratiam perseuerantiæ vsque in finem, eum obtinuisse à Domino ipsi reuelatum fuit, cùm audire promeruit: Sufficit tibi gratia mea.† Sic enim Abrahę reuelatū etiā fuit, quòd decederet in senectute bona†. Cæterū nónne Paulus summa cū modestia dixit, Puto autē quòd & ego spiritū Dei habeam†? Et ea quoque aliquando ignorauit, quæ in Ierusalē passurus erat†? At quid si paulus Dei spiritum, quē certo habuisse, confiteor, se habere sciat? vósne cum Paulo lumine illo visibili circūfulti estis? vobis squamæ ab occulis ceciderunt? vos vasa electionis cum Paulo facti estis? Vos verba illa audistis, Sufficit tibi gratia mea? Quis negat, sic vni hoc reuelari posse? Hoc quærimus, an omnes baptizati, certi sint salutis suæ. Vós ne Dauide magis certi, qui Dominum obsecrans dixit: Aufer à me opprobrium quod suspicatus sum.† Notum fac mihi

†*Rom.* 8.
†*Rom.* 8.
†2.*Cor.* 12.
†*Gen.* 15.
†1.*Cor.* 7. *in fi.*
†*Acto.* 21.
†*Psal.* 118.

†Psal.38. finem meum, vt sciam quid desit mihi†. Ab occultis
†Psal.18. meis munda me†. Cur Pauli verba contorquere conamini, perspicua verò obliuioni traditis? Ipse qui-
†2.Cor.13. dem dixit, Vosmetipsos tentate si estis in fide.† nimirum viua quæ charitatem comitem haberet, vt sequitur. An non cognoscitis vosmetipsos, quia
†2.Cor.13. Christus Iesus in vobis est, nisi reprobi estis?† Quid hæc sibi verba volunt? num vt qui credit, reprobam vitã ducens, fide omnia eluctetur, sicut Caluinus,
†In sua institu. Pag. 101. cõtendit†? Ad quid, tentationẽ hanc Paulus proponeret, si vitã malam ducendo, fide omnia excludimus? Num ꝑpterea, quia, vt somniatis, fides pœnitẽtiam præteritorũ annexã perpetuò sic habet, vt cùm peccasse eum pœnitet, etiã quòd fructus dignos pœnitẽtia non faciat, saluus sit? Fabulæ. Quæ igitur certitudo hęc vestra est? Num Iobe vos iustiores, qui sic
†Iob.9. ait: Etiã si simplex fuero, hoc ignorabit anima mea†. Adhæc sapientis verba afferamus, cùm inquit: Sunt iusti atque iniusti: & tamen nescit homo, an odio
†Eccl.9. vel amore dignus sit†. PRO. Neminem mortalium, hac via, ex affluentia bonorum se iustũ agnoscere posse, Sapiens in loco citato declarauit: non tamen quin spiritu Dei hoc passim fiat, Salomon negauit. CAM. Caluini responsum hoc est, qui non animaduertit, minimè his verbis Salomonem exordium sumpsisse, Sunt Diuites, sunt pauperes: sed hoc modo, Sunt iusti atque iniusti. quasi neque iusti proprij status certi sint: quemadmodũ apertioribus verbis alio in loco eius mentem declarauit, cùm

dixit, Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum?† †*Pro.29.* Nolite itaque deinceps mihi moleſti eſſe, ſed Auguſtinũ audite, dicentẽ, Quis enim ex multitudine fideliũ, quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorũ ſe eſſe præſumat?† & paulò pòſt: †*De cor. et grat. c.13.* Neſcientes enim quis pertineat ad prædeſtinatorũ numerum, ſic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus ſaluos fieri†. Quid enim vos ad †*De cor. et grat. c.15.* ſuſtinendam hanc certitudinem impellit? PROT. Fides, quæ innititur verbo Dei. CAME. Vnicum ſacræ ſcripturæ teſtimonium afferatis rogo, vbi Dei verbo nobis declaratutum ſit, poſſe nos certos æternæ electionis eſſe. quod ſi in medium promere non poteritis, nónne fruſtrà aërem verberatis? Animaduertite obſecro, hoc hominis officium eſſe, ſe ad gratiam ſicut poteſt, præparare†: †*Prou.16.* & tamen neſcit, an rectè animã pręparauerit ſuam, ſicut Dauidi contigit, cùm dixit: Vide domine ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna†. Auguſtinum perpetuò audite, qui volens †*Pſal.138.* nobis oſtendere, ipſam prædeſtinationem apud Deum certam, penes nos ſatis incertam eſſe, ſic inquit: Licet de ſuę perſeuerantię merito certi ſint, de ipſa tamẽ perſeuerantia ſua reperiuntur incerti. Quis enim hominum ſe in actione profectúque iuſtitiæ perſeueraturum vſque in finem ſciet, niſi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re, iuſto latentíque iudicio, nos omnes inſtruit, ſed neminẽ fallit†? quod perinde eſt ac ſi diceret, Licet †*De ciuit. Dei lib.11. c.12.*

ecclesię catholicę fides certa ſit, ſic prędeſtinata eius membra iuſta eſſe, vt infallibilis eorum ſalus ſit, proindéque & fides & ſpes hoc modo certę: in particulari tamen, nemo cui reuelatum non ſit, fide ſic certus eſſe de ſua prædeſtinatione poteſt, vt infallibilis eius ſalus ſit: tametſi ſpem certam pro illo tẽpore habeat, quæ multis modis poterit fruſtrari. Dauîdis imitatores eſtote, qui in toto pſalmo, Beati immaculati in via, etſi floſculos charitatis, in amœniſſimis cãpis ſpirituſſancti legeret, nunquam tamen perſeuerentię vſque in finem certus fuit, ſed pro illa conſequenda, iugiter orabat. PRO. Certi ſaltem eſſe poſſumus, ſecundum ſtatum præſentis iuſtitiæ, gratiam Dei animam noſtram habitare. CAM. Sicut paulò antè dixi, non poſſe nos ſcire an prædeſtinati ſimus, itidem dico, eam ob cauſam, nõ poſſe niſi reuelatione à nobis certò ſciri, an Dei gratia templum noſtrum habitet, quia is certò penes ſe ipſum, gratiam eſſe cognoſcit, qui principiũ gratiæ non ignorat: quòd cùm ipſe Deus ſit, vincens omnem ſcientiam noſtram†, neque ſi venit ad nos, neque ſi recedit, certò id ſcire quimus†. PRO. Cur ergo vos dicitis, Multos eſſe prædeſtinatos ſecundũ ſtatum præſentis iuſtitiæ? CAM. Nemo prædeſtinatur, niſi ſecundum ſtatum finalis iuſtitiæ: tametſi ad tempus reprobi, ſecundum præſentem gratiam in libro vitæ tanquam delendi ab eo ſcribantur, qui ſecundum iuſtitiam iuſti iudicis eos delebit†. Ad tempus item, propter peccata, ipſi quoque

†Iob. 36.
†Iob. 9.
†Amb. c. 9 ad Roma. ibi, Nõ autẽ excidit. prope finẽ.
†1. q. 2. 4. a. 3. 0.

prædestinati deleri videantur, qui tamen secundũ finẽ in quem prędestinati sunt, nunquã delentur†. PR. Quid igitur sentis? CAM. Signa quædã in nobis cognoscere possumus, quibus in gratia coniectura quadam nos manere iudicemus. PRO. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciã habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, Ioannes inquit†. CAM. Aliud est fiduciam habere, quàm certum esse in gratia se manere, stat nanque pro confidẽtia potius, quàm pro certitudine, iuxta illud Pauli: Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam remuneratione͂ habet†. Alibi hoc fusius disseruit†. PRO. Quęnam ista signa sunt? CAM. Multa. PRO. Quæ? CAM. Illa quorum Ioannes meminit, quando dixit: Vincenti dabo mãna absconditum, quod nemo nouit, nisi qui accipit†. signa quædam in seipso sentiens, quæ nemo nisi ipse nouit. PRO. Quæ ista sunt? CAM. Poterunt catholici, in quorum templis Dei spiritus inhabitare solet, Dauîdis contemplationes presertim in psalmo, Beati immaculati in via†, accuratè legere. vt signa videant propter quæ se in gratia manere existimabat. PR. Dic tu nobis aliqua. CAM. Non quidem maiora imaginari poterunt: illa omnino lege quę nos in explanatione psalmi illius obseruauiuus. PR. Nil aliud poterit addi? CAM. Thomas verba illa Domini ponderat: Qui Dei est, verba Dei libenter audit†. Alij fidem viuam quę per charitatem operatur, intuentur†. Ego verò cùm me

† 1. Ioan. 3.
† Heb. 10. g
† In lib. de hominis iustificatione
† Apoc. 2.
† Tho. i Ioã. c. 8. lec. 7.
† Iac. 2. Gal. 5.

ipſum tentare volo, an ſtem in fide, Paulum lego, qui fructus carnis & ſpiritus nobis oſtendit, memor verborum illorum Domini, Ex fructibus eorũ cognoſcetis eos†. ſic enim ſecundum pręſentem iuſtitiam, me iuſtũ vel iniuſtũ eſſe, plerunq; cõiector.

†*Gal. 5.*

PROTESTANTIS PARS II.

CAPVT PRIMVM.

Quædam veluti præfationes hoc loco narrantur, vt ſcholarum voces facilè intelligantur.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

CVR tu ſolus ſcholas ſequeris? PRO. Cùm Logicæ philoſophiæ, ſpeculatiuǽque Theologię annis duodecim Lutetiæ operam nauaſſem, ne Lutetiæ comburerer, Geneuam, venire coactus ſum. CAM. Monachus ergo eras. PRO. Monachus, tibi magna conſuetudine coniunctus. CAME. Nunc tui memor ſum, meo enim nomine Bartholomæus vocaris. PRO. Age igitur, vt hac conſolatione me lenias. CAME. Cur ingenia piorum hominum, ſubtiliſſimis ſcholarum partitionibus, confundere tentas. PRO. Quoniam multi ſunt, qui ratione perſuaderi volunt: ſi illis ſcholaſtica offeramus, inutilis res haudquaquam erit. CAME. Poſtquàm non aliter diſputare vis, ob fraternam charitatem ad quam obligor, omnia ſuſtinebo. Verùm ne iuniores qui Theologiæ operam nauant, hi quoque, qui ea quæ ratiocinabimur ob terminorum ignorantiam, minus bene intelligant, ſed potius

ab his confundantur quę ſpeculatiui tractant: quędam ego ſummatim principiò ſtatuam, ex his quę communi cõſenſu omnes confirmant. PRO. Perge. CAM. Lectores principiò admonebo, ne ægrè ferant ſcholę voces, eorum auribus diſſonas, audire. Non quidem latinis vocabulis illas commodè explicare licet. quocirca cum ſcholaſticis dicere ſatius erit, infallibilitate, pręſentialitate, & id genus reliqua, quibus id intelligat lector, quod dicere volumus: quàm diſertè loquendo res ipſas confundere. Quid enim mihi cum grammateis, qui veluti noui magiſtri diſciplinę, atque ſeueritatis cenſores, hoc ſeculo exorti ſunt? Non equidem ipſis loquor, qui hęc capere non poſſunt, ſed tibi, qui argumentis ſcholaſticis quoque de hac re mecum diſputare vis: à quo & ſcholaſtica audire, ac ſcholaſticè reſpondere cogor. Veritate nanque comite in medium ſic omnia producenda ſunt, vti authores illorum ſunt loquuti. PRO. Perge rogo, quaſi ſcholaſticis dũtaxat loquaris. CAM. Noſti rem contingentem bifariàm conſiderari poſſe: primo nimirum modo, prout in ſua cauſa eſt: exẽpli gratia, vt cùm tu cras iter ingredi ſtatuis, hodie hoc iter in ſua cauſa, id eſt in potentia iter faciendi, ſit: cras verò cùm iter agis, extra cauſam ſecundo modo, actu, in ſeipſa. PROT. Rectè. CAME. Hoc igitur præcognito, ſcire rurſum debes, quancunque rem contingentẽ adhuc duobus modis conſiderari poſſe: Altero ſcilicet modo, quatenus natura cõtingens eſt, vtpote

Res cõtingẽs, in cauſis, & extra cauſas.

Res contingẽs duobus modis conſiderari poſ[ſe].

ſedere tuũ, ante quam ſedeas, quod ad ſedere & nõ ſedere, ex æquo liberum eſt, vt natura res contingẽs dicatur: itidem & cum ſedes, ipſa ſeſsio ſecundũ naturã quantũ in ſe eſt, adhuc res cõtingens ſit: Altero vt propter præſentẽ ſtatũ in quo ſedes, & vnũ ex contingentibus eligis, neceſſaria ipſa ſeſsio dicatur, non abſolutè, ſed neceſsitate ſuppoſitionis, quia dum ponimus te ſedere, iam neceſſariò ſedes. †PRO. Scoto neceſsitatem conſequentiæ hãc eſſe placet. CAM. Si rectè Thomæ, ac Scoti verba ponderentur, nulla in re diſsident: quandoquidẽ Scotus, naturã rei contingentis intuetur, Thomas verò actus electionem determinati iam, vt vno electo alterũ excludatur. PRO. Nónne potentia dum eligit calidum, ex æquo potens eſt eligere frigidum. CAM. Vtique: ſed nos in ipſo principio electionis calidi, hanc potentiam conſideramus: non autem pro tẽpore electionis iam factę, de qua loquimur: quo tempore is qui poterat eligere calidum vel frigidũ, eligendo calidum, excluſus eſt vt loco calidi frigidum elegerit. hoc enim Deus priuatur. PRO. Aliud eſt cùm dicis, Deum non poſſe agere, quin calidũ electum non ſit: aliud verò, potentiam liberam nõ eſſe ad eligendum contrarium, quod frigidúm eſt. CAM. Potentia illa, etſi libera ſit in ſe, alia ratione effectu caret: quia electa ſalute Petri, ex neceſsitate ſuppoſitionis, Deus non poteſt aliter facere, quàm Petrum ſaluare. PRO. Probé. CAM Supereſt modo vt intelligas, aliter hominem, aliter verò Deum iſta

Natura cõtingens.

†Tho. 1. q. 14. a. 13. o. et 23. a. 5. o.

Aliter De' quàm homo res in causis et extra causas cognoscit. ſcire. ſiquidem nos ſucceſsiuè cognoſcimus, aliter in potentia rem eſſe, aliter verò actu, prout ſunt in ſemetipſis: ſed Deus ea ratione ambo ſimul cognoſcit, quia ſua cognitio commenſuratur æternitati, ſicut etiam ſuum eſſe. Æternitas autem tota ſimul exiſtens, ambit totum tempus. Vnde fit, vt in Deo hæc ſimul ſtent: nempe vt contingentia infallibiliter à Deo cognoſcantur, quatenus ſubduntur diuino conſpectui, ſecundum ſuam præſentialitatē, id eſt prout exiſtunt actu: & prout contingentia ſunt, ſuis ſcilicet cauſis cōparata†. PRO. Rectè. CAM. *†Tho. 1. q. 14. a. 13. o.* *Idea, qua tam homo quàm Deus intelligūt.* Meminiſſe te quoque autumo, tam Philoſophos quàm Theologos ideam poſuiſſe, qua Deus omnia intelligit†. PRO. Quid tu per ideā intelligis? CAM. *†1. q. 15. o.* Incipiam ego in ipſo homine ideam hanc principiò commonſtrare: vt ab homine ad Deum inde rapiamur. PRO. Perge. CAM. Quoniam idea Græcè forma dicitur: per ideas, formæ rerum præter ipſas res exiſtentes intelliguntur. PRO. Quem in modū formæ. CAM. Forma enim alicuius rei præter ipſam rem exiſtens, ad duo eſſe poteſt: vel vt ſit exēplar: vel vt ſit principium cognitionis ipſius, ſecūdū quod cognoſcibilia dicuntur eſſe in cognoſcēte.† PRO. Dic lucidius CAM. Tres enim voces ſunt *† vt ſup.* idea, exemplar, ratio: in quibus idea per ſe conſideranda eſt, quæ modò exemplari accedat, modò rationi: quatenus idea eſt terminus intellectus, & ad principium intellectionis. PRO. Quid iſtud? CAM. Finge fabrum qui domum fabricare velit: nónne

prius mente formã domus, quomodo facienda eſt, concipit, cui opus manuum ſuarum aſſimilare intendit? PRO. Omnino. CAM. Hæc igitur forma in mente hominis concepta, idea quę formam exemplarem habeat, nominatur†. PRO. Cur forma exemplaris? CAM. Quia hęc idea, eius rei forma eſt quæ fit, proinde forma exemplaris eo modo illius dicitur, ſicut pictura vna, exemplum alterius dici ſolet. Imitatur nanque faber, id quod in eius intentione eſt: & idcirco forma exemplaris dicitur, vnde opus imitatum fingitur, quod totum ad practicam cognitionem pertinet†. PRO. Cur cognitionẽ practicam hanc eſſe inquis? CAM. Ad differentiam alterius ideæ, cuius paulò antè memini: quatenus formę rerum cognoſcibilium, vt ratio cognoſcendi, dicuntur eſſe in cognoſcente. PRO. Da exemplum. CAM. Pone te aliquid ſpeculando cognoſcere, quod tu in mente tua ratione cõcipias: tunc quia idea ipſa, minimè exemplari, ſed rationi ſpeculando tãtum accedit: illam rationem quàm cognoſcimus, ideam ſimpliciter ea ratione vocamus, quia in ſola cognitione nihil producendo conſiſtit. habes me? PR. Teneo. CAM. His igitur in homine præcognitis, mẽtem ad Deum eleuemus, intelligentes, hanc ideã exemplarem, à qua omnia creata proueniunt, nil aliud quàm Dei eſſentiam eſſe: quandoquidem in diuina ſapiẽtia, eminentiori potẽtia ac perfectione, rationes omnium rerum vtroque modo ſunt, quàm in homine eſſe dicantur: ita vt Deus primũ excẽplar

† Vt ſuprá. a.1.c.in fi.

† Vt ſup.c. 3.c.

In Deo.

omnium ſit, ratióque omnium cognoſcibiliũ, prout in cognoſcente continentur. Sic enim Deus omnes res creatas in ſua æternitate coëxiſtentes, per practicam cognitionem intelligit. ſecundum autẽ quod principium cognoſcitiuũ eſt, & propriè ipſa idea, dicitur ratio, quæ poteſt ad ſcientiã quoque ſpeculatiuam pertinere, omnia cognoſcũtur à Deo, etſi nullo tẽpore fiant†. PR. Quid iſthęc nouiſſe prodeſt? CAM. Vt modum in primis intelligas, ſecundum quem, Deus contingentia in cauſis & extra cauſas ſimul intelligit. Deinde verba ſcripturæ ad radices vſque (quod aiunt) per hęc quæ explicauimus, intelligere poſſis, cùm inquit: Dominus ſcit cogitationes hominũ†: qui finxit ſingillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum†. & alibi Salomon: Omnes viæ hominun patẽt ocul.s eius†. Paulus quoque: Qui vocat ea quę non ſunt, tanquam ea quę ſunt†. & alio in loco: Pertingit vſque ad diuiſionem ſpiritus & animæ, compagum quoque & medullarum: & diſcretor cogitationum & intentionum cordis: & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia nuda & aperta ſunt oculis eius†. Ita vt Deo hoc ſit Deum eſſe, quod ſapientem eſſe: hoc ſapientem eſſe, quod intelligere†. His enim mediis cum homo intelligit, eſſe Dei, eius ſubſtantiam eſſe: eueſtigiò concipit, intelligere Dei eius ſubſtantiam eſſe: vnde & ipſa Dei præſcientia procedit, de qua nunc tractamus. PRO. Rectè quidem. CAM. Aures itaque arrige, vt aliud intelligas.

† *1.q.15.o.*
† *Pſal.93.*
† *Pſal.32.*
† *Proue.16.*
† *Rom.4.*
† *Heb.4.*
† *Aug. lib. 7. de trin. o & 1.q.14. a.4.*

PRO. Quod? CAM. Nempe vt tametsi Deus per suam essentiam se & alia cognoscat, non tamen sicut essentia sua est principium operatiuum aliorũ, itidem sui ipsius quoque esse †. quo fit vt habeat rationem ideæ quatenus ad alia comparatur, non autem quatenus comparatur ad seipsum Deum†. PRO. Arrident certè ista: sed quorsum tendas, adhuc ignoro. CAM. Hinc planè Theologi, vt nosti, ad aliam partitionem deuenerunt, quippe vt oculis Dei bifariàm omnia præsentia esse dicantur. Primo nimirum modo, quatenus omnia sunt ei præsentia, secundum nunc æternitatis, vt coexistẽtia coexistenti, hoc est in quantum omnium rerum creatarum exemplar est: & secundo modo, inquantũ omnia ei pręsentia in ratione cogniti, id est vt cognita cognoscenti astant †: ita vt omnia nuda & aperta eius oculis sint: aperta inquam, quatenus essentia diuina, siue vt ratio cognoscendi, siue vt obiectum cognitionis, eminenter omnia intelligibilia continet. PRO. Num hęc omnia tanquam in speculo in Deo relucent? CAM. Rudes homines hoc exemplũ proponunt: sapientes verò in essentia diuina, distinctè & eleuatè, vt effectus in causis eminentibus, omnia contineri docent, sic tamen perfecta, ac si dictinctè continerentur† . Qua de re longum sermonem habituri sumus, videntes quem in modum contingentia futura ipsi Deo pręsentia sint. PRO. In multis Scotistę doctrinam hanc cõdemnant. CAM. Eam tamen ob causam, quia in

Marginalia (left): † 1.q.15.a.1. — † Vt sup.2. — † 1.q.15.a.1. & 3. — † 1.q.14.a.5.c. & ibi, Caietanus.

Marginalia (right): *Idea ĩ Deo quatenus ad alia cõparatur.* — *Scotistæ.*

multis errant. PRO. Doctrinam ergo Scoti flocci-facis? CAM. Absit, immò potius ipsum veneror. PRO. Cur igitur ipsum non sequeris? CAM. Quoniam magis amica veritas: quemadmodum res ipsa paulò pòst docebit. Hactenus hæc pro iuuenibus dixisse sufficiat, rem ipsam aggrediamur.

PARTIS SECVNDÆ
CAPVT SECVNDVM.

Incipit hoc loco author operis, liberum hominis arbitrium cum ipsa prædestinatione simul stare posse, huic secundo protestanti ostendere.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

HIS itaque hunc in modũ enucleatis, reliquum est, vt paulatim de ipsa Dei scientia, quatenus res cõtingentes sibi prę-sentes quoquo modo cognoscit, hoc in loco agamus, quò deinde an liberum arbitriũ cum prædestinatione coniungi possit, perspicuè cernamus. CAM. Duobus modis (sicut paulò antè diximus) contingens poterit considerari. Altero nimirum prout est in causa, id est potentia: quẽ in modum, eam ob rem respectu nostri stat vt futurum, & vt contingens non determinatum ad vnũ, quia causa, seu potentia, contingens se habet ad opposita. Altero verò cõsiderari potest, quatenus est in actu in seipso: & sic non consideratur vt futurum, sed vt præsens, neque ad vtrumlibet contingens, sed vt determinatum ad vnum. Quorum primum, quia

Contingens in causa.

Cõtingens in actu.

contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni: sola coniecturali cognitione, illius cognitionem homo ipse habet: secundi verò certam ac veram. Deus autem omnia contingentia non solũ vt sunt in causis, sed vt vnumquodque est actu in seipso, simul cognoscit. PRO. Dei ergo scientia in hoc nostrã antecellit, quia certò ipsę res vt in causis sunt, cognoscit. CAM. Immò aliud, quia licet cõtingentia in actu successiuè fiant, non tamen Deus successiuè cognoscit cõtingentia, prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul vtrumque, vt dixi. PROT. Vnde hoc? CAM. Quia Dei cognitio mensuratur æternitate, æternitas autẽ tota simul existens, ambit totum tempus, sicut iandudum dixi†. PRO. Deum omnia cognoscere, etiam prout sunt in causis, alio modo quàm isto, ingenuè fatebor, quippe vt dum omnium rerum rationes apud se præsentes habet, hac ratione res ipsas contingentes cognoscat. CAM. Non solum ratione ista, sed etiam quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate, res ipsas contingentes scit: quandoquidem omnia quæ fiunt in tempore, præsentia sunt æternitati†. PRO. Vtramque viam Scotus aufert: cui neque Caietanus, neque cæteri Thomistę respondere norũt†. CAM. Incipe mi Bartholomęe, Scoti argumenta in medium promere, vt deinde ego tam illa quæ Caietanus scripsit†, quàm reliqua quæ Thomę authoritate scribere potuisset, afferam. PRO. Contra ipsam præsentialitatem, inquantum

†Hæc Tho. et Caie. 1. q. 14. a. 13. o.

†Vt sup.

Scotus.

†Sco. 1. dis. 39.

†1. q. 14. a. 13.

ęternitati contingentia coëxistunt, hunc in modũ argumentor, Quod non est, nulli potest coëxistere, sed futura non sunt. ergo coëxistere non possunt. CAM. Nego maiorem vt ponitur: quia rem esse, bifariàm intelligi potest, & prout est in se, & prout est in causa: ita vt quod in sua causa est, esse dicatur: & coëxistente causa, vnà cum causa æternitati coëxistere posſit. PRO. Maior probatur, quia coëxistere dicit relationem realem. CAM. Fateor, sed prout est in se, vel in causa quæ realiter coexistit. PRO. Si sic esset, prout tu proponis, omnia coëxistere æternitati, duæ ex hoc consequentiæ emergerent. CAM. Quæ? PRO. Altera, omnia simpliciter esse in actu. Altera non posse posteà poni in actu. Prima probatur, quia quod habet esse in actu à seipso respectu causæ primæ, est simpliciter in actu. quod enim tale respectu causæ primę est, tale simpliciter erit. CAM. Ex forma huius argumẽti, in quo Scotus de eo contingente tractat, quod iterum est ponendum in actu, iam patet omnino aliquando futurum esse. PROT. Vtique CAME. Sileat ergo Scotus: quandoquidem id quod est in sua potentia, si ens completum non est, secundum suam essentiam, habens esse fixum in natura: satis est vt ens incompletum sit in via, tendens in ens completũ, quod aliquando erit†: & ens quod simpliciter ens dici non potest, ens in potentia dicatur: cùm nil prohibeat, quin ea quæ non sunt simpliciter, sed in potentia, aliquo modo sint: &

† 12ª. q. 94. 2. c. & 4. meta. vbi Thomas hoc declarat.

cùm ſunt, tanquam coëxiſtentia æternitati, à Deo cognoſcantur†. pro quo Pauli teſtimoniũ ſufficere debet, cùm ait: Qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt†. PRO. Hic error tuus eſt, quia putas omne id quod eſt ens, æternitati coexiſtere. quod falſum eſt, eò quòd ens cognitum illud vocatur. CAM. Non quidem docti Scotiſtę hoc dicẽt. quandoquidem ens in quolibet apprehẽſo includi poteſt†. Neque aliud pręterea negabunt, vt præter vnum Deum, qui per eſſentiam ens eſt, cætera omnia entia per participationem entia ſint†. quod vbi ita ſit, neceſſariò ſequitur, coëxiſtentiam ipſam vnde omne ens prouenit, analogicè actum & potentiam comprehendere†. Itaque quod in potentia eſt, ens coexiſtens dicatur: præſertim cùm res ipſæ triplex eſſe habeant: in ſuppoſitis, in cauſis, & in intellectu†. quo fit vt certò prout in cauſa ſunt, à Domino tanquam coëxiſtentia contingentia cognoſcantur, vbi aliquo tempore fiant. Pro quo vnum deinde afferam, cui Scotiſtę reſpondeant, ſi poſſunt. PRO. Perge. CAM. De eo plane contingẽti loquimur, quod omnino futurum eſt: nónne? PRO. Fateor. CAM. Eſſe autem aliquando, & non coëxiſtere æternitati, impoſsibile eſt: cùm eſſe ens, & non participare eſſentiam diuinam, vt realiter ibi ſit, ridicula res iudicetur: Participare item realiter, & non coexiſtere æternitati, magis ridicula, quòd ſi coexiſtit, ergo ab ęterno coexiſtit: ne dicamus Deũ in tempore ſibi coëxiſtentia ſcire, quę tanquã

Marginal notes: †1.q.14.a.9 c.2. — †Rom.4. — †12^æ.q.94. 2.c.Met.4. lec.1.col.5. lec.5.col.5. — †Cõt. 2.co. 15.4^m.51.fi. Mal.q.3.a. 2.c.q.16.3.c col.2.3.c. — †Malo. q. 7.i.1^m. — †Tho.1.ſen diſ.36.q.1. 3.2^m.

coëxiſtentia æternitati cognoſcuntur. Hactenus de prima conſequentia. Secunda quoque conſequentia Scoti nihil valet, quia nõ tenet conſequẽs iſtud. Quod eſt tale reſpectu primę cauſę, eſt tale ſimpliciter. PRO. Cur non? CAM. Quia non ita contingentia reſpectu primæ cauſę, in ſecundis cauſis prout in eis ſunt cognoſcuntur, ſicut extra ſuas cauſas in ſeipſis intelliguntur. PRO. Quid iſtud? CAM. Pone enim Deum hodie hominis potentiam cras itinerandi ſcire: atque iter craſtinum quod actu ſit, itidem ſcire: nónne dare medium eſt, nimirũ propoſiti hominis hodierni cras itinerandi, quod aliud à potentia & ab actu extrinſeco eſt? & tamen hoc propoſitum à Deo cognitum alio modo eſt, quàm cras actu ſit: ita vt quod hodie eſt, non ſit tale ſimpliciter. PRO. Quapropter? CAM. Quandoquidẽ hodie futurum adhuc illud eſt, & homo poteſt facere duo: cras autem quando pręſens eſt determinatũ circa vnum quod elegit, nequaquã. ſic enim duo nunc temporis, ſub vno, nunc æternitatis continentur cognoſcuntúrque. PRO. Si Deus ſimul vno modo res contingentes prout ſunt in cauſis ſcit, & altero prout ſunt in ſeipſis: tunc ſeſsio mea craſtina, bis à Deo producetur. CAM. Conſequens hoc nego. PRO. Si ſeſsio mea eſt præſens, in ſeipſa ęternitati coëxiſtens, ergo producta: & quia adhuc nõ eſt actu in ſe ipſa, ergo producenda. CAM. Caietanus reſpondet, vt coëxiſtere Deo, non ſit ſecundum duplex nunc temporis, ſed ſecundum vnicum

nunc æternitatis, sub quo non inconuenit aliquid esse præsens, quod in se ipso præteritum est, aut futurum, prout ista sunt. PRO. Alia non solum Scoti, verùm etiam Capreoli † argumenta propositurus sum, quę soluere nequibis. CAM. Nota nobis illa sunt: & eo modo quo hęc tria soluta fuerunt, cætera soluentur †. Tu igitur aut has nostras exceptiones exclude, aut tace: satísque tibi hoc scire sit, nēpe res ipsas à Deo cognitas, antequàm actu sint, contingentia esse: vt deinde concludas, scientiam Dei infallibilem, minimè auferre, quin opera nostra cōtingentia sint, antequā actu fiant: deinde verò cùm facta sunt, necessaria ex suppositione esse, quemadmodum optimis argumentis, scriptura, & patrū authoritate Caietano ostendi, qui modum se ignorare asserebat, secundum quem, liberum arbitrium cum infallibilitate prædestinationis cōiungeretur. illa tecū repetita esse volo, vt facilè intelligas propter ipsarum rerum contingentiam liberum arbitrium cum prædestinatione simul manere.

† 1. Sent. dis. 36. ex aureolo.

† Cai. pª. q. 14. a. 13.

PARTIS SECVNDÆ CAPVT TERTIVM.

Liberum arbitrium contingentium rerum, cum ipso necessario quod ex parte Dei est, coniungi posse ostenditur: vt hac ratione cum prædestinatione necessaria, coniungi posse constet.

CAMERARIVS, PROTESTANS.

SVAVI consonentia Boëtius & Thomas concinunt, ea quæ contingentia sunt, respectu sciētiæ diuinę, quæ causa prima est, necessaria esse. PRO. Ita est. CAM. Cōcinunt quoque respectu causarum proximarũ, contingentia esse†. PRO. Perinde loqueris, ac si Boëtio & Thomæ, reliqui omnes subscribere obligentur. Scotista ego sum, qui his non subscribo†. CAM. Poteris, si placet, illius argumenta in medium afferre. PRO. Pręmittam principiò vnum quod Boëtium & Thomam errare fecit. CAM. Quod. PRO. Non quidē aliqui defuere ex philosophis, qui duo contradictoria latenter concesserint, dicendo, aliquid contingenter fieri, & primam causam necessariò id ipsum causare: quibus Scotus restitit. CAM. Quid iuuat contradicere, si contradictionis causa non affertur? PRO. Multas in medium promit causas, quas ego mox proponam. CAM. Perge. PRO. Sic enim Scotus inquit: Causa quæ mouet inquantum mota, si necessariò mouetur, necessariò mouet. sed omnis causa mouet seu agit inquantum mota à prima: ergo si necessariò mouetur à prima, necessariò quoque mouet ipsa. Vnde sequitur vt nulla detur causa contingens. CAM. Causam primam in secundam bifariàm agere posse respondeo: scilicet vt causa præcisa, & vt concausa. Vtram mauis partem elige. Si enim dixeris primam causam esse prę-cisam, tunc causa secunda non est causa, sed nudũ

† 1.q.14.a. 13. 1m.

† Scoti arg. po.dis.2.q. 2.& dis.8. q.4.et dis. 39. quæ Cai.respuit pa.q.14.a. 13.ibi, Cōt. 2m.

instrumentum causæ primę. tu autem ipsam causam secundam, causam esse dicis: quòd duo contraria simul continet. Si verò dicis causam secundam, cõcausam esse: ergo ex se aliquid confert. Si aliquid confert, tunc nego assumptum tuum, & do instantiam: quoniam motus causæ primæ, mouet causam secundam secundum motum suum†: ita vt id quod respectu prescientiæ diuinæ est necessarium necessitate infallibilitatis, contingens respectu hominis eo modo sit, sicut productio fructuum in planta, contingens in sua concausa est, tametsi causa Solis neccessaria simpliciter sit. Primum nanque quod fit, modificare naturam est: neque aliter ad volendum causa secunda à causa prima compellitur: immò potius quasi modificata à causa secunda, haudquaquàm necessariò, sed cõtingenter secundũ motum causæ secundæ à prima mouetur. PRO. Maiorem chimęram Leuchetus hanc esse censet. CAM. Valeat Leuchetus. Non quidem quid sibi velit, cõmodè intelligi potest. Alios lectores Leuchetus torqueat, interea dum nos reliqua expediemus. Et si qui curiosi ea frustrà legere adhuc voluerint, nostra quoque videant, quæ de gratia & libero arbitrio attulimus†: vbi euidentissimè necessariũ primę causæ cum libero cõtingenti arbitrio stare, sacræ scripturę testimoniis commonstrauimus: Vnde fit vt eodem modo cum prædestinatione coniungatur: quandoquidẽ Augustino teste, gratia & prædestinatio quãtum ad hoc attinet, pari passu iudicantur†. PRO.

† *Aug. de Ciuit. Dei li. 7. c. 30.*

† *Lib. 1. ca. 6. o.*

† *De præd. sanct. c. 10.*

Hoc ſecundum Scoti argumentum ſoluas. Si cauſa prior, prius naturaliter quàm cauſa poſterior effectũ attingit, neceſſariò iſtud eſt. CAM. Fateor ſecundũ independentiã & immediationẽ virtutis: vt hoc modo cauſa prima prius effectũ attingat, quàm proxima: non autẽ vt quaſi duratione naturę, in vno inſtanti, effectus antè attingatur à prima cauſa, & in alio à cauſa ſecunda. Neq; propterea ſequitur, ergo recepit ſimul neceſsitatẽ & contingentiã: quia non attingitur à prima ante ſecundam & ſeorſum, ſed modificata in ſecunda. Hęc Caietanus. PRO. Argumentũ Scoti nullo modo ſolui poteſt. CAM. Quare non? PRO. Quia ſi primum effectiuum proponitur infiniti vigoris, & illud agere de neceſsitate naturę, & ſecundum totam virtutem ſuam, & ipſum eſſe cauſam ſimpliciter primam, & omnem cauſam ſecundam tantum agere in virtute illius: neceſſariò prius natura attingit effectum, quàm ſecunda cauſa. CAM. Rectè Scotus loqueretur, ſi ea dari poſſent, quæ tu proponis. PRO. Quid negas? CAM. Fateor primum effectiuum, nempe Deum, eſſe infiniti vigoris, nego agere de neceſsitate naturæ: immò potius cum ſumma libertate, vt ſuprà deductũ eſt: ita vt non inconuenienter Caietanus inter cauſam neceſsitatis & infallibilitatis Dei, quantum ad hoc attinet diſtinxerit. Nego præterea illud velle, ſecũdum totam virtutem ſuam, ſecundum quam poſſet præciſe agere: ſed non aliter velle, niſi cauſa ſecunda ſecum velit: quemadmodum lib. I. de gratia &

† De grat. & lib. ar. c.10. et sup. in Catholico c.1. & 2. et cum Caietano, c.9. §.4.

libero arbitrio fusissimè dictum fuit†. Fateor adhuc ipsum esse causam simpliciter primam, & omnem causam secundam tantum agere in virtute illius, & denique consequens hoc nego, vt his hunc in modum existentibus, prius causa prima quàm secunda finem attingat, in eo, quòd non partim, non vicissim, sed insolidum ab vtroque cooperatur. PRO. Ergo perfectiuus actuum Deus nõ est, quia cogitur expectare causam secundam. CAM. Quotiens loquar? Non cogitur: siquidem liberrima causa est: sed quia eligit cum causa secunda insolidum bonum opus consummare, causæ secundæ motum exigit secundum modum suum†. Ex quibus nunc intelligis quomodo voluntas Dei causa efficax sit, quæ ex æquo tã necessaria quàm cõtingentia efficiat, tãetsi ipsa diuina volũtas cõtingens formaliter nõ sit†. Hactenus hęc declarasse sufficiat, ad rem redeamus.

† August. de Ciu. Dei lib.7. c.30. Tho. in 1. q. a.

† 1. q.14. a. 13. & ibi, Caiet.


PARTIS SECVNDÆ
CAPVT QVARTVM.

Argumentum illud Grammatistarum, Deus vnum ab æterno vult: ergo illud necessariò erit: hoc loco diluitur.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

FATERIS tu ex necessariis principiis necessariam cõclusionem prouenire? CAM. Omnino. PR. Ergo quicquid sciuit Deus, qui causa necessaria est, sic fore necessarium est. CAM. Maximé. PRO. Sciuit autem Petrum

fore ſaluum. ergo neceſſariò abſolutè Petrus ſaluus erit. CAM. Quoniam argumentum hoc, multorum mentes perturbat, & Thomas adeò ſubtiliter illud ſpeculatur, vt multi ipſum non intelligentes ceſpitauerint, ac plerumque errauerint: antequàm huic argumento reſpondeam, mathematica demonſtratione, quantum licet hæc inferiora ſupernis comparare, modum ſecundum, quem æternitas totum tempus ambit, in primis oſtendam. Deinde verò verba Thomæ afferam, & reliqua quibus liberum hominis arbitrium cum prædeſtinatiane coniungi poſſe probatur. PROT. Progredere. CAM. Hanc figuram in primis intuere.



PRO. Quid hac figura oſtendere conaris? CAM. Principiò vt videas totum tempus Petri, ab A vſque ad B, terminari: & quomodo plura nunc tẽporis Petri, ſub vnico nunc æternitatis comprehendantur. PR. Perge. CAM. Scire equidem te puto, Deum veracẽ ſecundum veritatem, quocunque modo intelligat, omne nunc temporis tanquàm ſibi præſens, ſic intelligere, prout eſt. PRO. Omnino. CAM. Hinc igitur fit, vt neque Petrum ſub ira exiſtentem, tempore iuſtificationis Petri origine intueatur, neque ecõtrario iuſtum eſſe tempore quo naſcitur ſub ira: tametſi ambo hæc duo, ſub vno nunc æternitatis ei præſentia ſint, & ſimul omnia cognoſcat†: ne fortè dicamus, ſecundum præſentem iuſtitiam, vel impietatem, pro tali tempore Deum aliquid ſcire, quod non eſt, & falſum cernat. PRO. Probé. CAM. Hunc igitur in modum cætera cõſiderabimus, abnegationem nimirum Petri, pœnitentiam Petri, ac mortẽ, ſalutémque Petri, pro his temporibus Deum vidiſſe, atque origine vnum alterũ præcedere, tametſi omnia ſimul cernat. PRO. Nemo iſthuc negare poteſt. CAM. Ex his igitur ſequitur, nunquam Deũ Petri ſalutem tanquàm futuram, ſed tanquàm præſentem vidiſſe, ſub tempore quo ſaluatur: quoniam ſcientia Dei æterna eſt, quæ neque in præteritum, neque in futurũ tranſire poteſt, ſed vnicum nunc æternitatis habet†. Quòd ſi ita eſt, quàm vanum hoc argumentum ſit, Deus vnum vidit, ergo illud erit: tu ipſe iudica. Num in Deo tempus conſide-

† *Aug. li. 3. de trin. c. 11. & Tho. pª. q. 14. a. 7.*

† *Vt ſuprà*

rabimus? num antequàm Petrus saluetur, pro alio tempore Petri salutem cognouit? PRO. Concludis ergo Deum necessariò & summa libertate agere: prædestinationem item adeò certam esse, vt necesse sit Petrum prędestinatum saluum fore, tametsi ipsa Petri salus contingens in se sit. CAM. Maximè. PRO. Ergo simul & semel prędestinatus poterit damnari, & Petrus prædestinatus non poterit damnari. CAM. Petrus in sensu diuiso, considerata persona Petri potest damnari. sed considerata persona Petri in sensu composito, prout est prædestinatus, non potest damnari. siquidem præscientia Dei, quæ salutē Petri in se contingentem vt factam cernit, non potest falli. quo fit vt supposito hoc quod Petrus sit coràm Deo saluus, impossibile sit Petrum non saluari: & tamē libero cum arbitrio gratia adiuto saluetur. Sic enim Pauli verba illa intelliguntur, prædestinatis omnia cooperari in bonum, eò quòd omnia tendunt in finē huius boni, etiam mala propter quæ feruentius conuertimur ad bonum†. Tenes ista? PRO. Teneo. CAM. Thomę igitur verba explicemus†: vt videas quomodo ista propositio, Deus vidit Petrum saluari, ex parte Petri contingēs sit. sic enim ipse ait: [Quidam dicunt quod hoc antecedens, Deus sciuit hoc contingens futurum] hoc est Petrum saluari, [non est necessarium, sed contingens] & pro ratione ponderant [quia licet sit præteritum] dum dicimus, Deus vidit [tantum importat respectum ad futurum] dum futuram sa-

In sensu diuiso et sensu cōposito

Thomæ Doctrina, qua liberum arbitriū contingēs, cum prædestinatione necessaria coniūgit.

† *Aug. lib. 3. de Trini. c. 11. et Tho. pa. q. 14. a. 7.*

† *1. q. 14. ar. 13. ad. 2m.*

lutem Petri vidit, quod futurum ſui natura contingens eſt. quæ quidem opinio ipſi Thomæ hac ratione non placet, quam ſubiungit. [Sed hoc non tollit ei neceſſitatem, quia id quod habuit reſpectum ad futurum,] id eſt antea vidiſſe quod futurum eſt [neceſſe eſt habuiſſe] neceſsitatem vt Deus viderit. ſic enim futura quæ quandoque non ſunt ex parte ſua eodem modo ſicut præmiſſum eſt neceſſariò cognoſcit, tametſi non fiant, vt ſequitur [licet etiam futurum non ſequatur quandoque.] Et cùm hæc opinio prima, Thomæ non placeat, ſecundam aliorum opinionem refert, ſubnectens, [Alij verò dicunt, hoc antecedens eſſe contingens, quia eſt compoſitum ex neceſſario & cõtingēti] hoc eſt ex præterito, quia Deus ſciuit, quod eſt neceſſarium: & futuro, Petrum ſcilicet ſaluum fore, quod eſt contingens. prò quo ſequens exemplũ ponunt [ſicut iſtud dictum eſt contingens, Sortem eſſe hominē albũ.] Quæ quidē opinio nequaquã ipſi placet, eámq; verbis quibuſdã difficillimis excludit, iis qui logicã ignorant: iis verò qui logicã callent, facillimis. Placuit nãque Ariſtoteli † ipſam propoſitionē ex ſubiecto & prędicato cõſtare: verbũ autem, vt plurimũ non eſſe aliter conſiderandum, niſi veluti copulam quandam, quæ ſubiectum & prædicatum coniungit: ita quidē vt tanquam materia, non autem tanquam forma, in propoſitione accipiatur: cuius ſententiæ Thomas memor ſic ait: [Sed hoc etiam nihil eſt: quia cùm dicitur, Deus

† *In prioribus.*

ſciuit eſſe futurũ hoc contingens:contingens non ponitur ibi niſi vt materia verbi,& non ſicut principalis pars propoſitionis]id eſt, non ponitur hoc contingens,vt in hac propoſitione, viſioni Dei regulam ponat, & propoſitum eius modificet: magis autem tanquam res quæ in propoſitione ſtet vt materia verbi,ſeu determinatio, quæ formam ſubſtantiæ propoſitionis non dat, vt ex ipſa oſtendatur quid Deus ipſe animo neceſſariò vel contingenter concepit: tametſi ipſa coniunctio ſit forma compoſitionis extremorum in propoſitione,[vnde contingentia eius,vel neceſſitas nihil refert,ad hoc quòd propoſitio ſit neceſſaria vel contingens,vera vel falſa]poſtquam contingens, regula neceſſitatis in propoſitione nequaquam eſt. Vis videre(inquit Thomas)quàm perſpicuum hoc ſit? Pone pro exemplo, me dixiſſe hominem eſſe aſinum, vel Sortem currere, vel Deum eſſe, in qua propoſitione vtrunque quod additur, per ſe redditur falſum, eò quod Deus eſt:num intereſt tunc, vt vnũ vel aliud ex contingentibus ſit in propoſitione poſitum, vt propoſitio ſit falſa? Certe non[Ita enim poteſt eſſe verum, me dixiſſe hominem eſſe aſinum, ſicut me dixiſſe Sortẽ currere, vel Deum eſſe]vt ex hoc neceſſario, quia Deus eſt: vnum ex his, ſiue vnum ſiue alterum, ex duobus cõtingentibus falſum eſſe oſtendam. Nec refert vtrum vnum magis quàm aliud ponatur. Quod ſi conceſſerint, eueſtigiò Thomas à paritate terminorum arguens, ſic ait:

[Et eadem ratio eſt de neceſſario & contingenti] quæ in hac propoſitione ab illis proponuntur. [Vnde dicendũ eſt quòd antecedens] ſcilicet, Deus vidit, [eſt neceſſarium abſolutè] abſolutè inquam, non vt Deus neceſſitate aliqua cognoſcat, ſiquidem liberè cognoſcit, ſed propter infallibilitatem, cuius ſuprà in corpore meminerat, abſolutè neceſſariũ illud vocat. Quibus hunc in modũ explanatis, ad aliam quorundam opinionem ſe conuertit, quibus placuit, propterea antecedens hoc, Deus vidit, non ſic eſſe cauſam neceſſariã abſolutè, vt conſequens neceſſariũ ſit: eo ꝙ eſt cauſa prima & remota: quaſi ex hoc, quia cauſa proxima rei contingentis, contingenter ſe habet, propoſitio contingens ꝓpterea dicatur, vt ſequitur. [Nec tamẽ ſequitur (vt quidã dicunt) ꝙ conſequens ſit neceſſarium] hic deficit vnum, non, quod ego addo, vt legas. [non ſit neceſſariũ, abſolutè: quia antecedens] neceſſarium abſolutè quod deberet cõtingens in neceſſarium conuertere [eſt cauſa remota conſequentis, quod propter cauſam proximam] quæ attendi debet, [contingens eſt.] Hactenus illorum argumẽtum: cui in hunc qui ſequitur modum ipſe reſpondet. [Sed hoc nihil eſt.] quare? [Eſſet enim cõditionalis falſa, cuius antecedens eſſet cauſa remota neceſſaria, & conſequens effectus contingens] ſicut ipſi prҫſupponunt. pro quo ſequens exemplũ addit [vtputa ſi dicerem, Si ſol mouetur, herba germinabit.] quaſi cum vno neceſſario, nulla conditio

coëxiſtere poſſit, vt conditionalis ipſa propoſitio reddatur, & vera. Denique ſuam, quæ ſequitur, Thomas opinionem ponit: [Et ideo aliter dicendum eſt, quòd quando in antecedente, ponitur aliquid pertinens ad actum animæ,] hoc eſt vt quædam proponantur, quæ intelligendo, in anima eorum imaginem concipiamus, [cõſequens eſt accipiendum, non ſecundum eſſe quod in ſe eſt] id eſt, res cognita in ſe eſt: [ſed ſecundum quod eſt in anima] & rationem aſſignat [aliud enim eſt eſſe rei in ſe ipſa, & eſſe rei in anima] dat exẽplum [vtputa ſi dicam: Si anima intelligit aliquid, illud eſt immateriale] eò quòd actus animæ de quibus eſt ſermo, ſunt immanentes in anima, cùm in intelligẽdo & appetendo conſiſtant, non autem quòd ſic materialiter intrà maneant. Verùm ſi dicas, ergo tanquam immateriale intelligitur ab anima: reſpõdet, [Intelligẽdum eſt, quòd illud eſt immateriale, ſecundum quod eſt in intellectu, non ſecundum quod eſt in ſeipſo,] perinde ac ſi dicat, quòd tametſi intelligatur & appetatur tanquam materiale, non tamen ſic intrà ſit, ſicut extrà. Poſtremò ad rem rediens, vt propoſitam quæſtionem decidat, verba ſequentia ſubiungit [& ſimiliter ſi dicam, ſi Deus ſciuit aliquid] hoc eſt ſalutem Petri [illud erit, conſequens] ſalutis Petri [intelligendum eſt prout ſubeſt diuinæ ſcientiæ, ſcilicet prout eſt in ſua præſentialitate] qui omnia ſcit, vt præſentia ſibi. Quod ſi hoc modo intelligatur [ſic neceſſarium eſt, ſicut

& antecedens] non illa via ſicut conſideratur neceſſarium abſolutè, ineuitabiliter, ſeu infallibiliter, ſed neceſsitate ſuppoſitionis: nempe vt propterea quia eſt, neceſſarium ſit eſſe. Ex quibus in ſumma hanc ſententiam haurire licet, vt nullo modo hoc conſequens valeat, Deus vnum vidit: ergo neceſſariò ſic erit, præterquàm neceſsitate ſuppoſitionis, ut quia ſic eſt, ſic eſſe videat, & rectè. ſiquidem omnia eo modo quo erant, Deo præſentia ſunt.[Quia omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe] vt dicitur primo ſeu ſecundo periherme. ſecundũ impreſsiones diuerſas. Hactenus Thomas†. PROT. Satan me tentauit, vt Geneuam venirem. CAM. Ille potius maledictus commiſſarius tanti huius mali cauſa fuit, qui ſub veſte Chriſtiana diabolus erat. Si tamen reſipiſcere cum Auguſtino vis, ad me veni, & te quieti priſtinæ reſtituere conabor. PRO. Erubeſco quidem. CAM. Tú ne Auguſtino dignior? Erubeſcas tamen, vt erubeſcentia iſta, peccati veniam impetres.

†1.q.14.ar.13.2m.

PROTESTANTIS PARS III.

CAPVT PRIMVM.

Martini opinio damnatur, cui placuit, abſque vlla præſcientia operum, Deum homines prædeſtinaſſe, vel reprobaſſe: vt hac ratione liberum arbitrium obliterare poſſet.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

QVIS hac miserrima fatuitate tua non cõflictetur, ô Camerari, dum adeò immenso labore, hanc non dicam secundã causam prædestinandi: sed Ambrosij potius imprudentiam ostendere conaris? Martinum Lutherum quæso audiamus, doctrina & sanctitate Ambrosio anteponendum: cui placuit, nullã causam reprobationis vel electionis, præter voluntatẽ Dei esse considerandam. CAME. Quales Martini mores, vita, & doctrina fuerint, alter noster dialogus, cui titulus Lutherus inscriptus est, plenissimè docet†. PRO. Quid Paulo respondebis dicenti, Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori†? CAM. Cùm contextus illius verba explicarem, Driedoni verum sensum verborũ Pauli ostendi. illa lege, vt confestim nullo in loco apertius quàm in illo, hunc præuisum bonũ vsum, prædestinationis Iacob non autem Esau, causam secundam fuisse cernas†. PRO. Magister primo sententiarum, & reliqui fermè omnes, solam Dei voluntatem, ipsius quoque reprobationis causam esse aiunt†. CAM. Si duas illas prouidentias quarum paulò antè meminimus†, tu consideras: alteram nimirũ, cùm omnes saluos generatim fieri voluit: alteram verò, qua omnes inobedientes, ad ostendendam suam iustitiam, reseruandos generaliter præordinauit: nil præter Dei voluntatem has duas prouidentias præcessisse, ego quoque fatebor. Si autem

† *De vera Eccle. Dei dialogo* 1.

† *Rom.* 9.

† *Suprà in Catho. c.* 7. *§.* 3.

† *Sen.* 1. *dis.* 41.

† *Sup. ĩ Catholico c.* 1. *§.* 3. *et c.* 4.

ipſam prædeſtinationem vel reprobationem conſideras: quia addita præſcientia omnium futurorũ, aliquid in Dei mente verſabatur, vt Petrum prędeſtinaret, Iudam verò reprobaret, hanc ſecundam cauſam eo modo primæ vniendam eſſe confirmo,
† Su.ĩ Cat. c.4. quo Ambroſius hoc Auguſtino oſtendit†. Hi ſanè fructus ignorantiæ veſtræ ſunt, qui putantes vos admodum doctos eſſe, quoſcunque patres ſpernitis, qui magna cum charitate vos docere poſſunt. Cur Auguſtinum non legitis, quem ſic veſtrũ eſſe Caluinus fatetur, vt nec ſyllaba ab eo diſcedere velit, vt eo docente, hunc præuiſum bonũ vſum, vel malũ, natura, tam prędeſtinationem quàm reprobationẽ
† Ad Sim. lib.1.q.2.et in locis in Cathol.c.9 aceruatis. pręcedere diſcatis†? Tria nanque à nobis cõſideranda ſunt. Primum vt nullũ meritũ condignũ, vel congruũ, ipſas prouidentias, generatim ſaluandi, vel reprobandi homines præceſſerit: quãdoquidẽ, à ſola Dei voluntate hęc procedunt, in quo cõcordes ſumus. Secundũ item, nullã pręſcientiam, Dei electionem vel reprobationem ſpeciatim factam, Martino veſtro authore pręceſsiſſe: quod contra omnium opinionem eſt, quibus placuit, prędeſtinationem
† Aug. de præd.ſanc. c.10. dari non poſſe, quę pręſcientia careat †. immò & contra Paulum dicentem, Quos pręſciuit, & prędeſtinauit†. Tertium, ex hac pręſcientia omnium fu-
† Rom.9. Vide ĩ cat. c.9. turorum, ſecundam cauſam congruam oriri, quæ prouidentias has, Deíque voluntatem, quę generatim ſaluare vel reprobare volunt, minimè pręcedit, ſed ſequitur, prędeſtinationẽ verò vel reprobationẽ

ſpecialiter factã præcedit, quod ſi vobis incognitũ hactenus fuit, ſatis apertè dudũ Catholicis oſtẽſum eſt†. PR. Thomæ hęc verba ſunt: Voluit igitur Deus in hominibus, quantũ ad aliquos quos prędeſtinat, ſuam oſtendere bonitatem, per modum miſericordiæ parcendo: & quantum ad aliquos quos reprobat, per modum iuſtitiæ puniendo. Et hæc eſt ratio, quare Deus quoſdam eligit, quoſdã reprobat†. CAM. Rectè Thomas cauſam voluntatis Dei generatim prouidentis oſtendit, quæ ex ordine vtriuſque prouidentiæ eſt, quibus vtrumque bonum eſſe iudicat: quemadmodum eiuſdem Thomę authoritate in Catholico declaraui.† PRO. Paulò pòſt, cur in ſpecie Petrum prædeſtinauerit: Iudam verò reprobauerit, nullam rationem habere, niſi eãdem diuinam voluntatem, ſubiungit. CAM. Quoniam Dei voluntas eſt, qui altera prouidentia omnes obaudientes ſaluare, altera verò inobedientes reprobare vult. conſtito deinde ex additamento præſcientiæ omnium futurorum, nullum adeſſe impedimentum ex parte hominis, quin eadem voluntate retenta, ſpecialiter Petrum ſaluando, Iudam verò reprobando, diuerſimodè, propter diuerſa hominis facta quæ præſcit, ambo duo volita executioni mandet, (vti Scotus optimè obſeruat †) iure merito Thomas præcedentia verba ſcripſit: nos autem hoc aliud inquirimus, an ſecunda cauſa ſequens primæ potuerit addi.† PROT. Nullam cauſam extrinſecam voluntatis Dei motiuam Catholici ad-

† *In Catho. c. 3. 4. 5. & 9.*

† *Tho. 1. q. 23. a. 5. 3m.*

† *c. 1. §. 3.*

† *Sco. 1. ſen. diſ. 41.*

† *Vide in Catholico c. 3. c. 5. §. 1. c. 8. §. 1. & 9. o.*

† 1. sen. dist. 41. mittunt †. CAME. Non tamen quin Deus ex his quæ extrinſecus fore præſcit, proprio non alieno motu moueri poſſit, negant. PRO. Paulo tu ſanctior es, qui dixit: O altitudo diuitiarum! † CAM. Contemplans Paulus, cur Deus omnia ſub peccato concluſerit, vt omnium miſereatur, verba hæc dixit, non autem poſt enarratam hiſtoriam Iacob & Eſau. ſic enim alio in loco, nõ altum ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem nos oportere admonet, docens nos ad ſobrietatem ſapere, cùm ea ſapere quę in ſcriptura explicata ſunt, ſedulò quærimus†. PRO. Propterea quia nulla ratio reprobationis præter voluntatem Dei poterat reddi, Paulus dixit: O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?† CAM. Nil tibi hæc verba prodeſſe, Driedoni paulò antè oſtendi.† Nil quoque & reliqua quę Caluinus eiuſdem ponderis afferre ſolet, iamiam probabo.† PRO. Sine me ſententias duas catholicorum coniungere, alteram nimirum Magiſtri, cùm ait: Non propter fidem vel aliqua merita elegit Deus aliquos ab æterno, ſed gratuita bonitate ſua aliquos elegit vt boni eſsẽt†. Alteram Auguſtini dicentis: Non quĩa nos futuros tales eſſe præſciuit, ideò elegit: ſed vt eſſemus tales, per ipſum, electione gratiæ ſuæ, qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo†. Et reſponde nunc, ſi potes. CAM. Dudum Ambroſius, Auguſtino hoc argumentũ proponente, illud reſpuit†. ipſum lege, ne battologiæ noter. Sic enim verba illa Domini intelligenda ſunt: Miſerebor cui voluero, &

O altitudo diuitiarum

† Sco. 1. sen. dist. 41. ibi, Ad primũ inoppoſitũ.

† Rom. 9.

† In catho. c. 6. §. 4. & 6.

† ĩ. Caluino

† Magi. 1°. ſen. diſt. 41.

† De præd. ſan. ca. 10.

† In Catho. c. 4.

clemens ero in quē mihi placuerit†, nempe vt sola voluntate Dei, tanquam à prima causa hæc omnia fiant: Cui & secunda accedit, quemadmodū paulò antè dixi†. Augustini verba auscultate si patrū authoritate cū Catholicis disputare vultis, (hi præsertim, qui Caluini discipuli estis) qui his verbis quæstionē hāc determinauit. [Nō putemus in maioribꝰ vel secundū merita gratiā cuique dari] bellè ostēdens nil aliud eum quęrere, nisi vt hominis meritū in gratia præparanda vel conferenda, omnino excludamus. [vel nisi suis meritis, quenquam puniri.] Audi nisi, vt intelligas, non solum condigna merita, causam reprobationis esse, sed ipsam voluntatem Dei generalem, deinde specialiter exequutam: quasi dicat, voluntate Dei generatim volentis sua prouidentia partem inobedientem reprobare: & hominis culpa, speciatim reprobatio condignè fit†. PRO. Nónne hominis congruum meritum, electionem præcedere tu fateris? CAME. Ea legas quæso quæ in Catholico scripsi†: & confestim ori tuo silentium impones.

† *Exo.* 33.

† *In Cath.* c. 4. §. 1. & 8. §. 1.

† *Augu. de bo. pers. c.* 11

† *c.* 3. 4. 8. & 9. 0.

CAPVT SECVNDVM.

Id ipsum prosequitur, vt patrum authoritate ostendat, liberum arbitrium cum Dei præscientia infallibili coniungi posse.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

VOLO hanc Lutheri opinionem alia via defendere, nempe vt propter infallibilitatē præſcientię Dei, nullo modo liberum arbitriũ cum prædeſtinatione connecti poſſit. CAM. Nónne Caietano, & alteri collegę tuo hoc oſtēdi†? PRO. Mecum nũc certas. CAM. Conabor igitur patrum authoritate id tibi oſtendere, quod ratione ipſis commõſtraui. Verùm ne in intelligētia terminorũ erres, aliqua prius præmittam. PRO. Pergé. CAM. Noſti Deum aliter res ſcientia viſionis ſcire, qua ea etiã ſcit quæ tunc nõ ſunt, ſed aliquando erunt: aliter ſcientia ſimplicis intelligētiæ, quæ etiam non entium eſt†: (quę quidem duo, nullo modo ex parte ſcientis, ſed tantum ex parte rei ſcitę differunt) Aliter verò ſcientia approbationis res Deum ſcire, †qua res ipſas eſſe vult. PRO. Dem iſta. CAM. Poſtquã iſta das, vltra pergendũ erit, vt intelligas, quod tametſi in Deo ſcientia & volũtas idem ſint, dum cùm beneplacito authoritatis quædam ſcit: cùm tamen ſcientia viſionis, vel ſimplicis notitiæ, aliquid ſcit, non ſolum diſtincta manent, verùm etiam, quomodo ex hominis ſcientia, nunquam procedunt effectus, niſi mediante eius voluntate, quæ ſui ratione quendam influxum in rem quam vult importat: eodē in Deo nullus effectus ſequitur, antequàm voluntas ſcientiæ vniatur. PRO. Quid tum deinde ex his inferre contendis? CAM. Veſtros grammatiſtas, qui huius mei laboris

† *In Cath. c.9.§.4. et ſuprà parte.2.0.*

† *1ª.q.14.9.12.0.*

† *veri.q.2.9.2ᵐ.*

† *1ª.9.148.c.fi.*

causa sunt, commonefacere laboro, vt cum pleno ore, quasi optimi concionatores, Theologíque doctissimi sint, per vicos hoc pestilentissimum argumentum proponunt, Deus bonũ vel malum vsum gratiarum suarum in vnoquoque nostrum præsciuit: illud ergo necessario erit: quod si ita erit, liberum arbitriũ nullum datur: rem falsam sese proponere intelligant. PRO. Quid mali asserũt? CAM. Origenem audiant dicentem: Nec propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum: sed quia futurum est, ideo à Deo scitur antequã fiat†. PRO. Falso igitur Augustinus inquit vniuersas creaturas & spirituales & corporales, non quia sunt, Deus nouit: sed ideò sunt, quia Deus nouit†. CAM. Si intellexeris, alteram esse Dei scientiam approbationis, qua res esse vult: alteram visionis, qua Deus omnia quæ tunc non sunt, sed aliquando erunt, scit: vtriusque opinionem veram esse intelliges: nempe vt Origenis sententia, in scientia visionis vera sit, quæ nil in voluntate ponit, sed quatenus ex idea in ratione cognoscibilium consistit, ea omnia speculando cognoscit. Opinio verò Augustini in scientia approbationis intelligatur: idcircò approbationis vocata, quia intelligendo aliquid vult vt sit: & velle Dei, facere est†: quasi voluntate id approbet, quod intelligit: vt forma exemplari eius æternitati coëxistat. PROT. Non idcircò prædestinati sunt, quia credituri erant, Augustinus inquit: sed quia prædestinati secundum propositum fuerant, idcircò crediderunt†. CAM. Fateor propterea eos

Origenes.

Augustin.

† *Orige. in epi. ad Ro.*

† *Augu. in lib. 6. et 15. de Trini.*

† *Magi. 1º. dist. 38. Th. 1ª. q. 14. a. 8. o.*

† *De præd. sanc. c. 17.*

credere, quia prædestinati. nam quos prædestinauit, & vocauit. modò tu fatearis Deum idcirco eos prædestinasse & vocasse, quia præsciuit eos accessuros.† PROT. Facta sua Deus præscit, quæ ipse est facturus†. CAM. Simul & cooperationem nostram, vti paulò antè dixit†. PRO. Hoc expresse Augustinus negat, cùm ait: Deum non aliena, sed sua facta præscire†. CAM. Non aliena facta quæ hominis tantum sint, sed facta sua præscit, id est facta quæ gratia sua initiantur, & ea comite perficiuntur. Sic enim simul & hominis consensum bene sua gratia vtentis præscit, sicut scriptum est, nec gratiam sine libero arbitrio, eò quòd Deus hominem absque homine saluare nunquam voluit, neque liberum arbitrium sine gratia. siquidem solus homo nihil ad salutem potest†. ita quidem, vt non propterea homo peccet, quia Deus hoc præsciuit, quin potius quia peccaturus erat, proinde Deus hoc præsciuerit. Sic enim his verbis se ipsum Augustinus declarat, cùm ait, Dei præscientiam non cogere hominem vt talis sit, qualem præsciuit Deus: sed præscire talem futurum qualis futurus est, quamuis eum non sic fecerit Deus, quem si cogeret esse, hoc quidē ageret quod non est†. PRO. Nónne Deus dum Petrum prædestinauit, salutem Petri voluit? CAM. Vtique. PRO. Augustini ergo opinionē potius quàm Origenis sequi debemus. CAM. Origenis & Augustini simul. PR. Num duo contraria simul & semel vera erunt? CAME. Trifariàm Deus in ipso præ-

†Amb. c. 9 ad Rom. et Aug. i locis sup. cit. c. 9.

† De præd. sanct. c. 10.

†In cathol. c. 5.

†De bono. pers. c. 18.

†August. Hypog. li. 3. col. 13. in libel. nostro de gra. & lib. ar. c. 10.

† De præd. et gra. c. 15.

destinationis opere, res ipsas scit. Primo modo, cùm in ipso ordine prouidentiarum, generaliter omnia cognouit: ac cognoscendo, generatim se quoque ex æquo misericordem & iustum ostendere decreuit. Secundo cùm visionis scientia, specialiter futurum bonum vsum in Petro præsciuit. Tertio cùm scientia approbationis, à prima causa bonitatis suæ motus, addita hac secunda causa præuisi boni vsus, quæ suam voluntatem sequitur, prædestinationem verò præcedit, secundum propositum volũtatis suæ, speciatim gratias præparando prædestinauit, vel è cõtrario reprobat. Hę enim sciẽdi rationes, etsi simul maneant, altera tamen origine alteram præcedit. PRO. Hoc vnum tuo ex ore audire percupio, cur hos gradus sciendi in Deo distinguis: post tres prouidentias Dei, & ante prædestinationem, præscientiam omniũ futurorum collocando. nónne satis fuisset, omnia in principio cum ipsa scientia rerum collocare? Siquidem res prius cognitæ sunt in mente Dei, futura omnia cognoscentis. CAM. Iandudum vidisti, scientiam Dei, & voluntatẽ eius idem nõn esse, cùm scientia simplicis visionis aliqua Deus scit, sed tunc demum cùm aliqua secundum propositum præscit, quo, voluntas scientiæ vnitur. PRO. Dem hoc. CAM. Si istud dederis, fateri continuò compelleris, scientiam Dei, quæ cum eius volũtate coniuncta mansit, donec generatim multa prouidit: vtpote in ipso ordine trium prouidẽtiarum, quarum prima omnes generatim in iusti-

 Patres.

tia creare voluit: ſecunda,omnes quotquot à iuſtitia exciderent, ad executionem iuſtitiæ generaliter reſeruari: tertia, id quod perierat, per Chriſtũ ſaluare:vti ex parte Dei generatim omnia conſummata fuerunt: in omnibus his tribus prouidentiis, in finibus voluntatis genericè manſiſſe. Deinde verò, quia his peractis, id quod generaliter præordinauerat,tum ne dona ſua cum pœnitentia eſſent, tum etiam ne ex parte Dei, prouidentiæ fruſtrarẽtur, ſpecialiter executioni eas demandare neceſſe erat: ipſa pręſcientia omnium futurorum ſpecialiter cognitorum,poſt ipſas generales prouidentias, neceſſariò ſubſequi debeat: quę illas ſequeretur,& prędeſtinationem,vel reprobationem,eam ob cauſam prędederet,vt ſalus generatim promiſſa, iuſto volito ſecundum magnam Dei miſericordiam gratis Petro obauditurо ſpecialiter condonaretur:ira verò generaliter comminata,condignè iuſtitia comite Iudæ, qui benedictionem noluit, ſpeciatim oſtenderetur. PRO. Cur Catholicis hæc non declaraſti? CAM. Vobis iſta tanta cum facilitate recenſenda erant,qui dyſcoli eſtis:non autem Catholicis, qui veritatem hanc, eis Catholico paucis verbis oſtenſam cognouerunt.

CAPITIS SECVNDI §. I.

Liberum arbitrium cum prædeſtinatione: primam item cauſam neceſſariam,cum cauſa ſecunda contingenti,hoc loco coniungit.

Deus.
Voluntas eius.
Res quam Deus vult.
Homo causa secunda, per quem rem ipsam vult.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

REPVGNANT ista, quocunque modo res Deo præsentes sint, Deum prescium esse omnium futurorum, & nos non necessitate agere: siquidem Deus semel statuit, quemadmodum feratur ordo eius vniuersitatis, quam condidit: quo fit, vt vnum omnino sit futurum. CAM. Si hæc tua opinio vera esset, necessariò euenirent omnia. PRO. Necessarió. CAM. Num & ea quæ vis? PRO. Ea etiam quæ volo. CAM. Vis igitur? PRO. Volo. CAM. Delyrium ergo tuum perspicuè patet, vt volendo, nō voluntate libera velis†. PRO. Quapropter? CAM. Sic enim Augustinus inquit: Cùm vis, potestatē habes & nolendi: & cùm non vis, minimè dicimus quod non possis, sed quod non vis†. Ita quidē vt cùm vis, potestatē volendi habere dicaris, eò quòd vis†. PRO. Dem ista. CAM. Vbi potestas ad opposita, ibi & liberum arbitrium manet. quod si manet, Deus qui tanquam causa prima voluntate infallibili salutem Petri vult, illā secundū qualitatē causę secundę vult: quandoquidem si ea quæ Deus vult, omnino euenire necesse sit, effectus tamē diuinę prouidentię non solū est aliquid euenire quocunque modo, sed aliquid

† *Lib. 1. ret. c. 9. & de lib. arb. li. 3. c. 3.*

† *Vt sup.*

† Tho.1a.q. 22.a. 4.1m.

euenire vel contingēter, vel necessariò†. & cum hominis potestati reliquerit, vt vocationi suę secundū propositum, aut obediat, aut cōtradicat: id quod ex parte Dei, vel ex suppositione ex parte hominis, necessariū est, antequàm fieret: contingens ex Dei ordinatione fuisse, apertissimè patet. quod si cōtingēs, cum libero arbitrio hominis operatum fuit†, præcedente scientia Dei certa, infallibili, & necessaria. iuxta illud Augustini, pręsciēte Deo, nō ad hoc cogēte, sed simul sciēte quid de hoc ipse faceret iusté.† Finge enim te futurum beatum, quem solus Deus facere potest, num inuitus, an volens beatus eris? PRO. Volens. CAM. Fabulæ ergo isthæc quæ proponis, sunt. Vis videre, frater, quanta cæcitate ducaris? Dic obsecro, num quando tu hoc argumēto vteris, Deus ab æterno vnum certò vidit: ergo illud necessariò erit: duo cernas, Dei præscientiam scilicet, & liberam voluntatem tuam? PRO. Duo: at alterum, hoc est voluntas libera, ea ex ratione euanuit, quia ex libera in necessariam conuersa est. CAM. Coactā? PRO. Nequaquam: sed quia Deus sic me velle præsciuit, & infallibilis eius præscientia est, hac ratione voluntas necessaria erit. CAM. O stultitiam singularem. PRO. In quo? CAM. Quomodo fieri poterit, vt idcircò quia Deus voluntatē tuam præsciuit, necessitate velis, si libertas volendi adest? PRO. Necessariam voluntatem adesse contendo. CAME. Delyrium hoc Caluino ostendi†, quocum de libero arbitrio plenissimè disputaui, perspicuè docens, & liberum arbitrium dari, &

† Dixi latius. sup. in catho. c. 9. §. 4.

† De corr. et gra. c. 12.

Caluini argumētum.

† Lib. 1. de gra. & lib. arbi. c. 6. in prin. & §. 1. & 2.

bb. j.

cum gratia coniungi, vt liberius dicatur. Illa lege, & tace. Etenim si hęc fabula imaginari posset, quęram ego: quando necesse est vt velis, vnde voles, cùm voluntas non erit?† PRO. Adest voluntas: sed quia necesse est vt velim, ipsam voluntatem in potestate non habeo. CAM. In hoc certè bis deliras: siquidē voluntas non est illa, quæ in potestate nostra nō est†. Quibus fit, vt Deū non negemus tanquam causam primam esse præscium omnium futurorum, & nos tamen liberè velle id quod volumus†. PRO. Vnde tu hauris volūtatem illam non esse, quæ simul potestatem volendi liberam secum non habeat? CAM. Tria enim ista sunt, potentia ad volendum bonum meritorium, voluntas quæ actu intrinsecus suapte natura gratia assistente bonum vult, & actus extrinsecus voluntatis, nimirum opus quod consummatur: nónne?† PRO. Omnino. CAM. Voluntas ergo humana in medio cōsistit. PRO. Maximè. CAM. Ergo sola absque potētia esse nequit. PRO. Deum pro potentia habet. CAM. Ergo cùm homo peccat, Deus peccat. PRO. Nego hoc. CAM. Chimæram igitur alteram hāc agnosce†. PRO. Voluntas illa est per quam inuiti aliquid agimus. CAM. Extorta tamen, iuxta Iurisconsultorum sententiam, quibus placuit coactam voluntatem dici. Et hæc quandoque simpliciter coacta, vtpote cùm homo aliquid compulsus inuitúsque facit. quandoque verò secundum quid coacta: verbi gratia quando mercator propter naufragij metum, ibi nauim exonerat, vbi nollet. PRO.

† *Augu. de libe. ar. li. 3. c. 3.*

† *Li. 1. retr. c. 9.*

† *De lib. ar. li. 3. c. 3.*

† *Vide in libello nostro de gra. & libe. ar. c. 3.*

† *Augu. in locis citatis*

Quid hæ contemplationes ad oſtendendum noſtram potentiam tibi prodeſſe poſſunt? Nónne ſola voluntate aliquando peccamus, etſi poteſtatem conſummandi peccatum non habeamus? CAME. Cùm altera poteſtas volendi plena atque libera ſit: altera verò, quę id quod vult, actu propter impedimentũ extrinſecũ, non cõſummat. Secundo modo volẽdo peccat, tametſi exequẽdi id quod vult, poteſtatem non habeat, iuxta illud Domini: Mœchatus eſt in corde ſuo†. Non autem quòd plena voluntate, abſque potentia, liberè quiſpiam velle poſſit. De quo nos (coactionem omnino excludentes) in præſentia diſputamus: cùm voluntas eſſe non poſſit illa, quæ in noſtra poteſtate non eſt†. quo fit, vt idem Deus qui voluntatem præſcit, poteſtatis quoque præſcius ſit. quòd ſi poteſtatis ad vtrunque præſcius eſt, iam liberum arbitriũ habere eos, qui prędeſtinati vel reprobati ſunt, palàm confiteris†.

† Matt. 5.

† Augu. in li. 1°. retr. c. 9. de lib. ar. li. 3. c. 3.

† Aug. vt ſuprà.

CAPITIS SECVNDI. §. II.

Duo hic ponuntur exempla, quibus idiotæ liberum arbitrium cum prædeſtinatione coniungi intelligant.

CAMERARIVS, PROTESTANS.

CVM omnis noſter labor circa hoc verſetur, nempe vt ipſos quoque idiotas prędeſtinationem & liberum arbitrium perpetuo nexu coniungi doceamus, poſtquam doctis ea omnia quæ diximus enarraueris, ſummiſſa voce ipſis idiotis dic, Videte & vos fratres, quanta cæcitate ducamini. iam audiſtis quo-

modo hoc vulgare vafrum argumentum, Deus vidit, ergo ſic erit : ipſis quoque prædeſtinatis liberum arbitrium non adimit. Experimini ergo ipſa

Primũ exemplũ pro idiotis.

natura docente quàm perſpicuum hoc ſit. Ponamus aliquem qui ſupra montem vel turrim maneat, hominem ad brauium currentem cernere, nónne humana ratione præſcit ipſe, ſuapte voluntate illum ante omnes ad brauium peruenturum? PRO. Dabunt hoc. CAM. Roga iterũ, an eorum præſcientia neceſſitatem voluntati currentis imponat? PRO. Minimé. CAM. Neque ergo Deus præuidens homines peccaturos, aliquem ad peccandum impellit, itidem & eos qui cum gratia cooperantur, vt neceſſitate id agant. PRO. Excipient fortaſſe, diuerſam Dei præſcientiam ab hominis præſcientia eſſe, quandoquidem illa neceſſitatem imponit, noſtra autem non. CAM. Id reſpondebunt, quod paulò antè excluſum eſt. PRO. Dic tu lucidiora, vt ipſis

Secundum exemplum pro idiotis.

veritatem hanc perſuadeamus. CAM. Poteris tunc, vt commodius iſthuc concipiant, denuò eis proponere, an in memoria habeant aliqua, quæ vel in ſeipſis, vel in altero homine facta fuerint? PRO. Habebunt. CAM. Subiunge tunc, an ſcientia iſta in memoria eorum retenta, neceſſitatem afferat vt facta ſint? PRO. Nequaquam. CAM. Sic enim, vti ipſa memoria non cogit facta eſſe quæ præterierãt: haudquaquam Deus præſcientia ſua, facienda quę nobis futura, ſibi autem præſentia ſunt, cogit? PRO. Sat eſt vt eã ob cauſam, quia res iã ſunt, neceſſariæ

ſint. CAM. Neceſſitas hæc ſuppoſitionis eſt, quæ liberum arbitrium non aufert, eò quòd ſi propterea quia factũ eſt, neceſſariò ſic factũ eſſe dicimus: antè tamen quàm fieret, vſque ad initium actus, contingens fuit †. Hæc certè ſola ratio eſt, quare tam idiotæ quàm rhetores vehementer hac in re errẽt, quia modum quo Deus abſque vlla temporũ ſucceſſione res futuras ſciat, minimè intelligunt, ſed illam ſecundum hominis ſcientiam metiuntur, qui præteritum, præſens, & futurum habet. Hactenus de re hac, ad rem redeamus. PRO. Quam? CAM. Quippe vt quo modo Origenem & Auguſtinum attuliſti, reliquos afferas patres, qui veſtram opinionem tutentur. PRO. Satius mihi tacere erit, poſtquàm Auguſtinum in mediũ prompſiſſe nihil profuit. Hunc meum collegã audi, qui ſacræ ſcripturæ teſtimoniis omnia explanabit.

† Dixi in Cathol. c. 9. §. 4.

PROTESTANTIS PARS IIII
CAPVT PRIMVM.

Meritum condignum, quod Proteſtantes negant, ſacræ ſcripturæ teſtimonijs oſtenditur.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

QVIS riſum tenere poterit, dum vos ad ſudorẽ vſque laborare cernit, indagantes, an propter meritum præuiſum quiſpiam prædeſtinatus ſit? Quem aliquãdo hac tunica meriti veſtitum vidimus? Nónne delyria ſatis manifeſta iſthæc ſunt? CAM. Quid cauſæ?

PRO. Quia Paulus dixit, [Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionẽ, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate.†] Quid iſtud, vt eſſemus ſancti? nónne omnem præuiſum bonum vſum excludit, ſi ipſe ſua prędeſtinatione nos ſanctos facit? †Ephe.1.
CAME. Non ſic te prædeſtinauit, vt dies noctéſque, aut dormienti tibi, aut peccanti, aut luxuriãti, optatam æternámque vitam det, ſed eum potius colenti, ac cum eius gratia bona opera cooperanti. PRO. Hoc quęro, an bene operando, aliquod meritum ex opere proueniat, quod hominis dicatur? huius enim meriti, nuſquã ſcriptura meminit. CAM. Tametſi multi hoc onus oſtendendi meritum ſuſtinuerint, quia multa per me addenda illis ſunt, omnia ſimul, ſi audire placeat, coaceruabo. PRO. Perge. CAM. Voces has te legiſſe autumo, pretium, fructum, debitum, gloriam, ſtipendium, mercedẽ, remunerationem, retributionem. verba item ſequẽtia, præparari, operari, promereri, ſecundum opera inuenire, ſecundum laborem repleri, reddi, acquirere, rependi, iſtiúſque generis alia multa. PRO. Sæpe iſta legi: ſed quid proinde velis, non intelligo. CAM. Satius dixiſſes, intelligere nolo. Quot enim verba hæc ſunt, tot modis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, meritum de condigno dari probamus. PRO. Quid pro merito tu intelligis? CAM Pauli doctri-

nam ſequor, vt meritum illud eſſe dicam, quod iu-
†*Rom. 4.* ſtitiæ atque debiti rationem in ſe continet.† PRO.
Probé. CAM. Incipiam itaque ſcripturæ teſtimo-
nia enarrare. PR. Ad quid fruſtrà laborare vis? nón-
ne ſatis ſupérque eſt Driedonem, Vegam, & Cli-
chtoueum hoc onus ſuſtinuiſſe? Ea quæ nos in ex-
plicatione horum teſtimoniorum attulimus, lege,
vt deinceps meriti huius omnis quęſtio ceſſet. CAM.
Cur tu potius ea non legis, quæ ego ad excluden-
†*In lib. de hominis iustificat.* dũ reſpóſa veſtra attuli†? hoc quidẽ & nunc operę-
pretiũ eſt, nempe vt videamus, an vos rectè reſpon-
deritis. PRO. Perge. CAM. Ieſu filij Sirach teſtimo-
nium principiò afferam, cùm ait: Miſericordia faciet
locum vnicuique ſecundum meritum operũ ſuorũ.
†*Eccl. 16.* Audi meritum†. PRO. Apocryphus liber ille eſt.
CAM. Canonicum hodie eſſe, in libro de vera Ec-
†*In Canone.* cleſia Dei probauimus†. At quid ſi canonicus nõ
eſſet, nónne ſanctus interim haberetur, qui opti-
mus iudex inter nos & vos eſſe deberet, præſertim
cùm ſolus minimè ſit, ſed Moyſem & Paulum, hac
voce, meriti, vtentes, ſecum habeat, vti paulò pòſt
patebit. Verùm vt hi quoque qui in meridie cæcu-
tiunt, hoc apertè cernant. Salomonẽ citabo, cuius
verba hæc ſunt: Iuxta opera manuum ſuarum re-
†*Proue. 12.* tribuetur ei†. Reſponde, ſi potes, an aliud ſit re-
tribuere, quàm retrò tribuere? Dic pręterea quid il-
lud, De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur bo-
†*Vt ſup.* nis†? Nónne verba hęc meritũ oſtendunt? ſi Ioanni
credimus, cùm inquit, Elegi vos, & poſui vos vt

eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat†. †*Ioan.15.* Sic enim eiusdem sapientis alia verba habent: [Misericordia & veritas pręparabunt bona] vbi perspicuè vides, Dei misericordia per Christum veritatē nobis bona præparari in via, per quæ ad ipsa ęterna bona peruenimus, prout subiungit [In omni tempore bono erit abundantia†] remunerationis glorię †*Prou.* 14. æternæ, verè abundantia. siquidem passiones nostrę ad futuram gloriam non sunt condignę†. †*Rom.9.*

Cauillatio Protestantium.

PRO. Hunc in modum isthęc omnia soluimus nos, nēpe sequi remunerationem glorię, Dei bonitate absque merito nostro. CAM. Dei bonitate nos saluari, tanquam à causa prima, paulò antè fassus sum. secundam autem, nullum habens authorem, tuo ex capite negas, nil citatis à me testimoniis respondens. Dic amabo, quid Paulus sibi voluit quando dixit: Beneficentię & communicationis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus?† Dic quęso †*Heb.13.* quid promereri sit?

Altera Protestantium cauillatio.

PRO. Nil aliud in Græcis apostoli verbis habemus, quàm tales hostias esse acceptas ac placere Deo. CAM. His verbis argumentū minimè soluis: quin potius Caluinum apud vos hodie triumphantem simul condemnas. PRO. In quo? CAM. Omnia opera nostra non solum exosa, verū etiam abominationem & peccatum esse corā Deo, longissima oratione Caluinus asserit †. †*In Instit. cap.6.* PRO. Argumentum tuum soluisse satis mihi est. CAM. Quoties vis audire non esse solutum? aliud cùm sit Deū promereri, id est beneficia conferre, quàm hostias

ſimpliciter acceptas habere. At vis videre, quàm perſpicuè alibi ſcriptura, hãc beneficentiã pro re meritoria quę mercedẽ mereatur, vſurpet? Verba filij Dei lege cùm ait: Qui recipit prophetã in nomine prophetæ, & iuſtũ in nomine iuſti, mercedẽ iuſti accipiet†. Et paulò pòſt, mercedẽ nõ perdet. Dic, rogo te, quid vox, merces, ſignificat? Dic rurſum, an perdamus ea quæ noſtra nõ ſunt, vel ſaltẽ nobis debeãtur? PRO. Cùm hanc vocem mercedis in ſcriptura legimus, de ipſa hæreditate æterna intelligere debemus, quam tanquam pater filiis adoptiuis, qui ſumus nos, abſque merito Deus donat. CAM. Non quidem hoc negamus, mercedem, ipſam gloriam eſſe: ſed an tanquam merces gloria præſtetur, à te quæro. Nam ſi merces, ergo debita; ſecundum Paulum:† & ſi debita, ideò debita, quia iuſtum recipit ſub nomine iuſti. Quod nil aliud eſt, quàm ſi dicatur, operibus meritoriis nos gloriam acquirere, iuxta Pauli declarationem, cùm inquit: Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum proprium laborem†. Aperi oculos, quæſo, quoniã aliud eſt mercedem ſola bonitate Dei nobis dari, aliud verò propter magnam ſuę bonitatis miſericordiam id nobis promitti, quod debitũ prius nõ erat: vt propter gratiam cum qua cooperamur, meritorium opus, Dei voluntate deinde dicatur. quo fit, vt gloria æterna principaliter propter ſuã miſericordiã nobis detur: ſecũdo verò loco ſecundũ iuſtitiã ab eadẽ miſericordia procedentẽ. itaq; mercedẽ, accipiamus ſecũ-

†Matt. 10.

Tertia proteſtantium cauillatio.

† Rom. 4.

†1ª. Corĩ. 3.

Secundum miſericordiã & iuſtitiam.

dum proprium laborem. PRO. Quo authore loqueris? CAM. Paulo, & Moyſe, cùm alter dicit: Vt promiſſio ex fide credentibus daretur†. alter, Deus eſt cuſtodiens pactum & miſericordiam his qui cuſtodiunt præcepta eius†. vbi bellè vides, gloriam æternam ſecundum miſericordiam & iuſtitiam dari. Sic enim cuſtodit pactum illi qui præcepta cuſtodit. Non quidem aliam ob cauſam, Paulus eiuſdem promiſſionis memor, ſubiunxit, Patientia vobis neceſſaria eſt, †niſi vt ex patientiæ neceſſitate opus cum gratia cooperatũ oſtẽderet: itaq; promiſſio ex fide quæ per charitatem operatur, credentibus daretur. Hæc enim rectè expendendo, fidem cum neceſſitate operis coniunctam intueberis: vt per fidelia opera neceſſaria ad ſalutem, neque aliter (ſi operari liceat) promiſſionem ſalutis æternæ reportemus†. Quid enim verbum illud, reportemus, ſignificat, niſi præmium ex operibus, hoc eſt ſalutem retrò portare? quod apertè præmium oſtendit. Id ipſum alia verba pauli teſtantur, cùm ait: nos laborare oportere in acquiſitionem animarũ†: quaſi hac via bonum gradum iuſtitię acquiramus, †ſicut Moyſes quoque teſtatus eſt, quãdo poſt enarratam miſericordiam, & pactum Domini, ſequentia verba eueſtigiò addidit: Protinus eis reſtituens quod merentur †. Audi, merentur. PROT. Impijs ſcilicet, qui puniri merentur. CAM. Tam impiis quàm iuſtis, iuxta thema ab eo paulò antè propoſitum loquitur. Porrò quid ſcriptura recenſet, cùm ait:

† Rom. 4.
† Deut. 7.
† Heb. 10.
† Heb. 10.
† Vt ſuprà.
† 1. Tim. 3.
† Deut. 7.

† *Matt.16. d.* Vnicuique dominus reddet ſecundum opera ſua?† Quid item alia verba præ ſe ferunt? Iuſtificans iu-
† *3.Regũ.8* ſtum, & retribuens ei ſecundum iuſtitiam ſuam?† Non ſufficiũt iſta? Ieſum Dei filium iterum audiamus, qui volens nobis oſtendere, quomodo non ſolum ſecundum miſericordiam, verùm etiam ſecundum iuſtitiam operum cum gratia cooperatorum, hæreditatem hanc acquirimus, alibi ſic ait: Siquis confeſſus fuerit me coràm hominibus, confi-
† *Marci.8.* tebor & ego eum coràm patre meo†. Deinde verò vt apertè declararet, nolle aliter gratiam dare, ſubiungit: Qui me negauerit coràm hominibus, non
† *Matt.10.* confitebor eum coràm patre meo†. Per quas confeſſiones fidelia opera oſtendit, non ſolam fidem: Paulo teſtante, corde nos credere ad iuſtitiam, oris
† *Rom.10.* autem confeſſionem fieri ad ſalutem†. quam patrẽ hoc modo condonaturum Ieſus declarat. ſic enim bene miniſtrando paſtores noſtri gradum bonum
† *1.Tim.3.* ſibi acquirunt†, & nos quoque in operibus noſtris: ac quaſi per gradus cœlorum regnum aſcendimus, ab eo ducti, qui dirigit greſſus noſtros, ne moueã-
† *Pſal.16.* tur veſtigia noſtra†. Quæ cùm ita ſe habeant, non modò meritum glorię vides, ſed etiam non abſque ipſo gloriam dari cernis, ad quam per ſucceſſiuas Dei gratias præparamur. Exclamate nũc, vt ſoletis, in angulis veſtris, fallite pauperrimos idiotas, corã quibus nullum meritum ex ſcriptura probari poſſe prædicatis. Videant denique & ipſi idiotæ an veſter Auguſtinus ſit, cùm ait: Itaque chariſſimi, vita

nostra bona nil aliud quàm Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur: sed illa cui datur, tantummodo gratia est: hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tanquã merces pro iustitia: vt verum sit, quoniam verum est, quia reddet vnicuique Deus secundum opera eius. Vnde cùm posset dicere, & rectè dicere, Stipendiũ autẽ iustitię vita æterna, maluit dicere, Gratia autem Dei, vita æterna est.†Sic enim opus meritorium, nostrum nõ est: hoc est quia in nobis non existit absque Deo.†

† *De gra. & lib. arb. c. 8. & 9.*

† *Augu. de gra. & lib. arb. c. 8.*

CAPITIS PRIMI. §. I.

Meritum de congruo rursum sacræ scripturæ testimoniis probatur.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

QVID per congrui meritum vos intelligitis? CAM. Id congruum nos vocamus, in quo æqualitas nõ inuenitur, sed secundum liberalitatem dantis tribuitur, hoc intuentis quod dantem decet, non autẽ illud quod accipienti secundum iustitiam debetur†. PROT. Erit ergo tunc congruum, non autem debitũ congrui. CAM. Si ea legeris quæ cum Soto & Caietano, in ipsa quæstione meriti de congruo disserui, mox cõgruum meritum quid sit, intelliges†. PRO. Hominem aliquid in se habere mihi ostende, propter quod Deus qui secundum debitum non cogebatur, illo intuito moueatur: & tunc congrui meritum confitebor. CAM. Sacræ scripturæ testi-

† *2. sen. di. 27. q. 1. a. 3. c.*

† *In catho. c. 8. o. & c. 9. §. 1. & 2*

moniis in citatis locis, hoc probaui. PRO. Vnico responſo omnia illa excludam. CAM. Quo? PRO. In prima gratia illa conſideranda eſſe contendo, nos autem de ipſa prædeſtinatione agimus. CAM. Auguſtinus ſic iſta coniunxit, vt quod locum habet in gratia, in ipſa quoque prædeſtinatione habeat locum†. PRO. Scripturã requiro. CAM. Vnico ego Pauli teſtimonio os tibi obſtruam. PROT. Quo? CAME. Cùm ait, Credenti in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei. Audi ſecundum propoſitum, & dic omnia quæ in tempore fiunt, ſic fieri prout in propoſito manebant. PRO. Quid in homine inſit, ſcire volo. CAME. Dixerat nanque Abimelech, Num gentem ignorantem condemnabis? Et Dominus ad Abimelech: Et ego ſcio quod ſimplici corde feceris: & ideò cuſtodiui te, ne peccares in me, & non dimiſi vt tangeres eam†. Vbi aliquid in homine eſſe cernis, à quo tanquam ſecunda cauſa, Dei bonitas mouetur, vt ſimplicitati Abimelech, ne peccet ſuccurrat. Quid pręterea quęris? Hęc duo tibi propone, alterũ nimirũ, Abimelech, Dominum propter voluntatem nõ peccandi ſuccurriſſe: alterũ item nolenti homini, quẽ ſi vocetur, obauditurum pręſcit, opem ad reſurgendum ferri, ſicut paſſim Deus facit †: & in vtroque congrui meritũ ſatis apertum reperies. Hactenus de ipſo cõgrui merito: reliqua in noſtro Catholico leget†: ne in battologiam incidamus.

†*De præd. ſanc c.10.*

†*Gen.20.a*

†*Rom.9.*

†*Præſertim in c.8.*

PARTIS QVARTÆ

CAPVT SECVNDVM

Sacræ ſcripturæ teſtimonijs ea probantur, quæ paulò antè ratione cum ſcholaſticis, & patrum authoritate, cum altero Proteſtãte tractata fuerũt.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

PRÆTERIIT tempus illud Camerari, quo myſteria diuina, philoſophorũ adinuentionibus oſtendebantur: illud itẽ, cùm ſatis erat Theologo dicere, ſic ille pater ait, ſic iſte cenſet. ecce tempora iam aduenerunt, in quibus ſermo ipſe diuinus dat intellectũ iis qui ſcripturæ teſtimonia ſcrutantur. Age itaque, vt ſingula quæ & ratione & patrum authoritate hactenus oſtendere conatus es, verborũ Domini authoritate, & mihi commonſtres. CAM. Tempora quidem aduenerunt, in quibus craſſa ignorantia ducti, neſcientes quid patribus reſpondeatis, patres abnegando, vos vt patres habeamini ſedulò laboratis. & cùm ratio ipſa veritatẽ vobis oſtendit, mutato nomine, ſcholarũ ſophiſmata eſſe dicitis: ſcripturam verbo inquirentes, vt maiorum veſtrorum more, factis eam contorquere potius, quàm explicare valeatis. Poteris itaque ea in medium producere, quæ ſcire optas: vt ori quoque tuo ſilentiũ imponam. PRO. Principiò id mihi oſtendas quæro, quomodo Deus, qui res omnes præſentes in conſpectu ſuo tanquam factas habet, eaſdem res tan-

Debui res ĩ cauſis & extra cauſas ſcire.

quam contingentes in cauſis ſuis antequàm ab homine fiant cognoſcat. Vos quidem dicitis, cùm aliquid factum eſt deſinere contingens eſſe: & hoc quod additis, nimirum vtroque modo Deum vtrunque ſcire, ſacrę ſcripturæ teſtimoniis haudquaquam probaſtis. CAM. Nónne ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, Caietano & cæteris iſthuc oſtendi? PR. Mecum loqueris. CAM. Verba illa ponderanda eſſe propoſui, quæ Dominus ad Abimelech Saram in propria domo detinentem dixit: [Nunc ergo redde viro ſuo vxorem, & orabit pro te quia propheta eſt: & viues. Si autẽ nolueris reddere, ſcito quia *Gene.20.* morieris tu, & omnia quæ tua ſunt†] Quibus iam vides, quomodo Deus, cui præſens erat, Abimelech Saram reſtituturum, atque Abrahamum oraturum (ſicut in tempore factum eſt) hæc duo antequam fierent, in cauſis & extra cauſas ſibi nota, tanquam cõtingentia Abimelech ꝓpoſuit, in ſui liberi arbitrij poteſtate relinquens id, quod Deus ipſe tanquã factũ intuebatur. Scit quoque Deus finem eorũ omniũ quę ſub cõditione ab homine requirit: & nihilo tamen ſecius tanquam contingentes res illas proponit: quemadmodum aceruata à me teſtimonia †*Lib.3.c.7.* in libro de gratia & libero arbitrio cõmonſtrant†. PRO. Caluinus alium ſenſum verbis illis accommodat. CAM. A nobis tamen eodem in loco excluſum. PRO. Illam deinde Catholicorum chimęram, ſcriptura mihi oſtendi vellem, cùm neſcio quẽ librum Dei imaginantur, in quo prędeſtinati, qui *Liber vitæ.*

omnino ſalui erunt, modò ſcribantur, modò deleantur: quoſdam ſtatus præſentis iuſtitiæ & iniuſtitię addentes, quibus homines vti volunt, aut damnant, au ſaluant. CAM. Librum vitæ dari Ieſus teſtatur†. Et multis in locis idipſum legimus†. Iuſtos verò ad tempus deleri, Dominus teſtatur cùm ait, Etiam ſi dixero iuſto, Vita viues, & confiſus in iuſtitia ſua, fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius obliuioni tradentur: in iniquitate ſua quam operatus eſt, in ipſa morietur†. Cùm enim iuſto loquitur, cui dicit vita viues: iam præſupponit ſecundum præſentem iuſtitiam iuſtum eſſe: & cùm confeſtim ſubiungit, & confiſus in iuſtitia ſua, iniquitatem fecerit, omnes iuſtitiæ eius obliuioni tradentur: in iniquitate ſua quam operatus eſt, in ipſa morietur: ſtatum præſentem iuſtum, in ſtatũ mortis perpetuæ commutatum eſſe docet, quemadmodũ in Saule videmus. PRO. Cur potius comminationes non dicentur. CAM. Quia ſtatum vtriuſque enunciauit, quando dixit: Si dixero iuſto: Si dixero impio, quę cum ita ſe habeant, quia prædeſtinatio certa penes Deum eſt†, ad tempus prędeſtinatos deleri, neceſſum erit. PRO. Dudum ſcientiã Dei ſic partitus es, vt fruſtillatim ſciẽtię partes colligere cogamur, modò pręterita in ipſo Deo conſiderans, modò futurum cùiuſdã boni vel mali vſus pręſciti, dum ſimul nullum tempus apud Deũ dari, ſed omnia pręſentia eſſe, ac actu perpetuo id velle quod vult, fateris. CAM. Paulus quoque pręterito

† *Luc. 9.*
† *Exo. 32. Apo. 3. & 20.*
† *Eccl. 18.*
† *Dixi ſup. in 1. parte c. 2.*

tempore, & futuro, in his quæ ab æterno absque tempore facta sunt, eam ob causam vsus est, vt Dei iudicium hoc æternum secundum propositum voluntatis suę in mente retentum, nobis ostenderet: omnino ante mundi constitutionem factum, sed non absque mundi præsentia, & totius humanę naturę cursu: quod nobis hominibus non poterat absq; verbis prętereriti tẽporis cõmonstrari: tametsi omnia præsentia Deo fuissent. vnde factum est vt scientiam, præscientiã: destinationem, prædestinationem vocauerit: & cætera secundum præteritum tempus enunciauerit. Sic enim Deus ipse, cui omnia præsentia sunt, alibi futuris verbis dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meã: & non dilectam, dilectam meam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam: † tametsi omnia ei præsentia essent. Iesus quoque: Quæ audiui loquor, inquit. † PRO. Quo authore Scholastici vestri tam audacter dicunt, ea quæ simul à Deo fiunt, natura vel origine vnum alterum pręcedere? CAM. Augustinus penes Latinos primus author vocis istius fuit†: penes Græcos Basilius.† PRO. Quo scripturæ testimonio Augustinus mouetur? CAM. Nónne vos quoque fatemini, omnem operationem creationis mundi, simul esse factam? sed quia ordinem in mente Dei habuerunt, quando vnum aliud sequi bonum esse cognouit, hoc ordine sigillatim omnia ad nostram doctrinam per Moysem scripta fuisse. Fatemini præterea cũ Atha-

† Osee. 2.

† Ioan. 8.

† Aug. de triplici, habitaculo. c. 6.

† In li. cõt. Eunomiũ.

Vnũ alterũ origine in Deo præcedere.

nasio, aliam esse personam patris, aliam filij, aliam spiritussancti, tametsi vox persona, vnum singulare omnium significet†. PRO. Ita est. CAME. Hæc itaque pro exemplo tibi sint, quomodo ea quæ simul sunt, alterum origine alterum præcedat. Sic enim operationes exteriores quæ personis diuinis respectu creaturarum diuersimodè attribuuntur, intrinsecus omnium personarum sunt. † Sic quoque cùm symbolum ecclesia concinit, inquiens, Et in vnum Iesum Christum filium eius: genitum non factum: ne prioritas in diuinis detur, intellectu patrem generare filium concipimus: quod simpliciter secundum humanam naturam dicere aut cognoscere nequiremus, ne in absurdũ prioritatis & posterioritatis incidamus. † Hęc quidẽ sicut intellectu nos ita esse experimur, via vobis ad consentiendum Augustino erunt: vt agnoscatis rectã nobis tradidisse doctrinam: quam vos qui symbolum & Athanasium sequimini, nequaquam negare potestis.

† Augu. de Trini. & Tho. 1ª. q. 30. a. 4.

† pº. dis. 22. 3. 3ᵐ.

† 1. q. 52. a. 3. c. & q. 32 a. 1. c.

PARTIS QVARTÆ.

CAPVT TERTIVM.

Contendunt Protestantes, Deum esse causam peccatorum nostrorum: illum item incipere corda nostra indurare, ac in reprobum sensum nos tradere: vt hac ratione deinde, omnia necessitate euenire subiungant: proindéque liberum arbitrium hominis cum reprobatione ab æterno facta, haudquaquam posse coniungi.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

VOS estis qui dicitis, effectum reprobationis, ipsam indurationem esse? CAM. Sed ab homine incipit. PRO. Num ad peccandũ Deus hominẽ non impellit? CAM. Claudite aures, qui audituri estis, ne tantæ impietatis vocibus polluamini. Iam tempus illud à propheta prænunciatum aduenit, vt homines insipientes audiamus, dicentes: Non est Deus.† Nam illi stulto hic similis est, qui dicebat, non est Deus. Alter namque non esse dicit, alter verò non bonum esse affirmat. siquidem si malorũ est causa, non bonus est: si non bonus, neque Deus: itaque vtrobique est negatio Dei.† Cur satis Martino nõ fuit, principiò Bailardum, deinde verò Vuiclephũ, insanos ab ecclesia habitos fuisse, vt tertius esse voluerit? PRO. Quid tu his quæ illi dicunt, respõdes? CAM. Basilium magnum Græcum lege, qui adeò doctè & disertè portentum hoc obliterauit, vt nullus hominum qui à Satanæ spiritu non ducatur, hoc ore audeat proferre.† PRO. Valeat Basilius: mihi responde. CAME. Augustinum saltem Caluini aurigam audi, qui ori tuo frenum imponit.† PRO. Non quidem Caluini mandatum ostẽdi. CAM. Pro me itaque, Basilio, & Augustino, simul tecum loquar. PRO. Perge. CAM. Dic tu prius, quid est peccatum? PRO. Dictum vel factum vel concupitum contra legẽ Dei†. CAM. Ergo chimera est, vt id quod Deo iubente fit, peccatũ dicatur. Etenim

† *Psa.* 13.

† *Basil. mag. in homil. Deus non est author peccati. hom.* 9.

† *In loco citato. Et in Hexamer. fol.* 6. *B.C.*

† *De act. cũ Feli. libr.* 2. *de spir. & lit. c.* 31. *Hypo. lib.* 3 *col.* 4. *de li. arb. li.* 1. *c.* 2 *li.* 2. *c.* 20. *lib.* 3. *c.* 5. *&* 6.

† *Aug. contra Faustũ lib.* 22. *c.* 27.

ſi peccatum eſſet, furti accuſari poſſet Iſraël, quòd argentum & aurum Ægyptiorum aſportaſſet: & tamen peccatum non fuit, quia Domino iubente id fecit. Quis enim adeò mẽte obtuſus erit, vt Deũ peccati authorem dicat, qui rem malã iubere non poteſt, & odio impiũ & impietatem habet†: neque mortem fecit†: neque volens iniquitatem eſt:† Nũ Chriſtus mendax, cùm dixit: Vos deſideria patris veſtri facitis, & ideò ex patre diabolo eſtis†. Nihil quidem euidentius, vt ſciamus Satanam malorum animæ, non autem Deum cauſam eſſe,† cuius inuidia peccatum in mundum intrauit,† quãdo animaduertens ſe ex angelorũ ordine expulſum, quibuſcum terrena creatura conuerſabatur, protoplaſtos tentauit.† Ad hæc Apoſtoli teſtimonium ſatis apertum habemus, dum homini qui cum Deo diſputare auſus eſt cur ipſum indurauerit, reſpondit: Non eſt iniquitas apud Deum†. & non hoc teſtatur ſolum, verùm etiam aliud, quippe nec legem peccati cauſam eſſe, dum minimè peccatum per legem præcipi ait, ſed cognoſci†. Et cùm quæreret an lex peccatum eſſet, reſpondit: Abſit.† Ioannes itẽ Apoſtolus illam concupiſcentiam à patre non eſſe dixit, quæ concupiſcit aduerſus ſpiritũ†. Non quidem quiſpiam, qui ſtultus non ſit, peccatum malum eſſe negabit. quod ſi non negabit, quomodo malum à Deo bono? Non enim turpe ab honeſto, neque vitium à virtute†. PRO. Neque Deum iniquum, neque peccati authorem eſſe, nos tenemus:

† *Sapi.* 14.
† *Sapi.* 1.
† *Pſa.* 5.
† *Io.* 8.
† *Iac. epi. c.* 1.
† *Sap.* 2.
† *Gen.* 3.
† *Rom.* 9.
† *Rom.* 7. *& Aug. de lib. arb. c.* 9
† *Rom.* 7.
† 1. *Io.* 2.
† *Baſ. hom.* 9.

ſed Deo iubente omnia fieri. Sic enim Satan quadringẽtos prophetas Dei iuſſu in perniciẽ Achab decepit†. Iob quoque Satan Dei iuſſu tot tormentis perſecutus fuit: cuius filios decẽ occidit†. Paulo itẽ Satanam, vt ipſum colaphizaret, dedit†. CAM. Caluinũ video: quẽ, vt me conueniret, huc veniſſe cenſeo. ſecũ de hac re cõcertabo, cuius hęc argumẽta, quę proponis, ſunt. PRO. Ne quęſtio hæc partiatur, mecũ omnia tractari velim. CAM. *Sæpe* dixi, hoc vos Proteſtantes Caluino debere, nempe quia tunc ipſe loquatur, cùm omnes tacetis. At quis Caluinum, diuerticulo iſto vti docuit, vt Deus peccatum iubeat, cuius author non ſit? Nónne iniquus Deus, ſi peccatum fieri iubet? Alteri quidem chimęrę ſimilis hæc eſt, cùm mordicus voluit, voluntatem non à nobis, ſed à Deo ad peccandũ eſſe, qui author peccati non eſt. Contra quam ſententiam ſic Auguſtinus inquit: Nunquam autem legimus in ſanctis ſcripturis, Non eſt voluntas niſi à Deo. & rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt: alioqui etiam peccatorum (quod abſit) author eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo: quoniam mala voluntas iam ſola peccatũ eſt, etiam ſi deſit effectus.† Et alio in loco: Si autem potens eſt, ſiue per angelos vel bonos vel malos, ſiue quocunque alio modo operari, etiã in cordibus malorum, pro meritis eorũ quorũ malitiam non ipſe fecit, ſed aut originaliter tracta eſt ab ipſo Adam, aut creuit propria voluntate†. PRO. Cur in aceruandis doctrinis patrum,

Proteſtantiũ ſophiſmata.

†*3.Reg.c.* 18.*&*.22.
†*Iob.c.*1.
†2.*Cor.*12.
†*De ſpirit. & lit.c.*3.
†*De gra. et lib. ar. c.*21.

tantum laboris insumis? nam hos omnes negamus. CAM. His ergo testimoniis quæ ego Patrum nostrorum authoritate in medium produxi, responde. PR. Scripturæ testimoniis quæ Caluinus citat, tu prius responde. CAM. Magnam scripturarum farraginẽ, exigua, imò nulla cum vtilitate à Caluino coaceruatam legi†. PRO. Quid causæ. CAM. Cùm Augustinus maiora aceruasset†, iusto tãdem iudicio Dei, siue publico, siue occulto, non autem secundum iniquitatem isthæc fieri iudicauit. PRO. Hoccine disputare est? Singulis quæ Caluinus affert, sigillatim responde. CAM. Incipe tu illa in medium afferre. PRO. Ego occidam, & ego viuere faciã, Deus inquit†. CAM. Aut illos consideras, quibus Deus vitam ad tempus dedit, quos si deinde occidit, mors hæc, ab hominis peccato, qui non mori potuit, originem traxit†. aut mortem secundam, & hæc quoque mors mala, homini imputanda est, qui non solum principium & radix peccati fuit, verùm etiã actualia committit, suaptéque voluntate peccat†. PRO. Nónne ipse est qui efficit, vt congreget auarus, & nesciat cui?† Nónne ipse, qui Iobẽ ac multos alios bonis spoliauit?† CAM. Sæpe diuitiarum iactura, instrumentum iustitiæ electis est, qui bonis spoliantur: reprobatis verò pœna. PRO. Maximis plagis Iobem vulnerauit: & alios multos infirmari, & mori quoque, (etsi iusti essent) iussit. CAME. Illos scilicet, quibus expedit magis membra habere impedita, & impetus ad peccandum tardi-

† *In lib. de præd. pag. 274. vsque 296.*
† *In lib. de grat. et lib. arb. c. 21. et Hypo. li. 3. col. 4.*
† *Deu. 32.*
† *Gen. 3.*
† *Vide in libel. nostro de gra. & lib. ar c. 6. o*
† *Psal. 38. Eccl. 2.*
† *Iob. 1.*

ores: mors verò iustorum venit, vbi finis adest vitę iam expletæ, quem cuilibet ab initio fixit iustum Dei iudicium à longe nostram vtilitatem prospiciens†. PRO. Ipse est qui dicit: Ego sum qui paraui lumen, & feci tenebras: faciens pacem, & creans malum.† CAM. Si pro pace eam securitatem intelligas, quæ sublatis bellis datur: & mala dicas, labores qui bella gerentes sequuntur: iusto iudicio fieri aduersus eos, qui digni sunt supplicio, quod per bella infligitur, libenter assentior. An tu non vis flagrasse Sodomam post impietates illas & flagitia? an non cecidisse Hierusalem, & templum desolatum post horribilem in Dominum crudelitatē? Sic enim descenderunt mala super portas Hierusalem, vt mala fuerint, sonitus puerorum, & equitum exercitus Romanorum. PRO. Non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit, alio in loco scriptura dicit†. CAM. Fateor, modò ea mala esse intelligas, quæ paulò antè diximus. nempe vt Deus plerumque puniendo, ipsa mala immittat, quemadmodum Prophetæ omnes testantur.† sæpe verò vt filios castiget†. Sic enim aut malorū iudex est, & malorum punitionem iustè operatur: aut tanquā medicus vt morbum tollat, malum immittit†. cum morbo non autem cum ægroto bellum gerens†. PRO. Cur integram nauim submergit, integram item ciuitatem perdit, in quibus multi iusti sunt? CAM. Quis dixisset in Sodoma & Gomorrha solum Loth iustum cum domo sua Deū inue-

† *Basil. hom.* 9.
† *Esai.* 45.
† *Amos.* 3.
† *Hier.* 32 *Amos* 9. *Mich.* 1. & 2. *Soph.* 3.
† *Hebr.* 12.
† *Iac. c.* 1. 2. *Cor.* 10.
† *Basil. hom.* 9.

nisse, cui ciuitatẽ exire per Angelũ iussit? PR. Quid si non exiuisset, nónne cum aliis mortuus fuisset, sicut Angeli verba declarant, cum ait: Ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis†. CAM. Vtique, sed idcirco factũ non est, quia iustus erat, diésque constitutus mortis nõ aduenerat. Atqui vt semel loquẽs, & quę ꝓposuisti, & quę ꝓponere poteris argumẽta, quibus famem, pestem, bellũ, terręmotũ, & inundationem à Deo immiti, probes: sacræ scripturæ testimoniis soluã, attentas aures vt præbeas quæso. PRO. Perge. CAM. Quid enim commune Dei iudicium misericordia plenum, quo erga electos, qui eum colunt, vtitur: iuxta illud Saræ. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.† quẽadmodum de Abrahamo, Dauide, & Nabuchdonosore scripturæ fusissimè testantur: cum altero rigoroso Dei iudicio ira referto, quo homines tum vt ipsi pœnas condignas luant, tum vt cæteris exemplo sint, ad mortem crudelem condemnat, sicut Abiron & Dathã condemnati sunt?† Nónne Deus in omnibus misericors & iustus? etiam dum vel per Angelos malos multos punit, itaque & occidit multos, sicut iustus iudex, qui per iustitiæ executorem noxios occidit, vt vindicet se de inimicis suis.† Num meo ex capite hoc fingo, sicut vos agere soletis: an potius Iosue authoritate lo-

Gen. 29.

†*Tobiæ. 3.*

†*Num. 16.*

†*Esai. 1.*

quor, qui cùm innumerabiles Reges occidiſſet, vrbes diruiſſet, ac populos occidiſſet, minimè dixit, Sic
† Ioſue. c. 11 Deo placuit, ſed dei ſententiã fuiſſe ait†, qui non nouit aliquem iniuſtè condemnare. Hoc ſanè Ioſue reſponſo, omnes ſcripturæ ſoluuntur, quæ de pœnis iniquorum loquuntur, quando ſic quadrin-
† 3. regũ 18 & 22. gentos quinquaginta prophetas occidit Elias, †
† 1. reg. 15. ſic Samuël regem Amalech † & cæteros hoſtes
† 2. regũ. 5. manu Angeli †, & id genus ſimilia. Num miſericordia plenus & ſumma bonitate non eſt, cùm
† Ioſue Iudicũ. o. præſertim. c. 2. aliquos præmaturè occidit, ne pereant†? Non ſufficit vobis Ioſue teſtimonium audiuiſſe? Paulum audite, qui omnes pœnas quas Iſraël paſſus eſt,
† Num. 26. et Exo. 32. vel propter malorum concupiſcentiam: †vel propter idololatriam: †vel propter fornicationem: †vel
† Num. 25. quia Deum tentare voluerũt: †ſic eueniſſe teſtatur†.
† Num. 2. Cæterùm, quo in loco, Deum aliquando hoc fe-
† Num. 14 ciſſe in animæ perniciem alicuius qui iuſtus eſt, le-
† Iud. 8.
† 1. Cor. 10. gimus, vt Domini iuſſu, Satan aliquem in perditionem animæ aut occidat, aut tentet? Nónne malo-
† Iac. c. 1. rum intentator eſt Deus? † Extinguit ergo Deus electorum mala, non autem ex Deo eſt malum, tametſi immitat mala, quibus vt externæ moleſtiæ peccandi licentiam auferant, vtitur: medicus certè noſter eſt, qui morbum tollit, non morbum cor-
† Baſil. Hom. 9. pori aduocat. † PRO. Nil igitur Deus in peccato facit? CAM. Immò nihil fit Deo non faciente, vel per-
† Ench. c. 95 mittẽte vt fiat. † PRO. Quid in peccato facit? CAM. Promptus eſt in bono adiuuare vel permittere vt

peccet: ad nutum voluntatis noſtrę, ne homo aliter moueatur, quàm ſecundum motum ſuum. † Det mihi locum vnum Caluinus vbi hoc intueamur, nempe Deum aliquem in animæ perniciem ſic tẽtari iuſſiſſe, vt malum peccati mortalis deinde elegerit, & protinus ſilebo. Ego verò Paulum pro me habeo, qui per Adamum non ex aliqua neceſſitate, ſed ſuapte libera voluntate malum eſſe factũ rectè ponderat. Sicut & vos fatemini, liberũ arbitrium Adamum ad peccandum habuiſſe. Credimus quidem, ex vno Deo omnia eſſe quæ ſunt, & tamen non eſſe peccatorum authorem Deum.† Quandoquidẽ defectus peccati, ex nihilo eſt: † immò nihil eſt à Deo, quod nequaquã factũ.† Quæ cùm ita ſe habeant, nõ poſsũ ſatis nõ mirari, quonã pacto, vos ipſi, à vobiſmetipſis non abhorreatis, ad tam maledicta delapſis. Num qui vita eſt, mortis initium erit? Num tenebræ hoc principium afferunt luci? an potius voluntarios homines peccare permittit, vt eos deinde ad oſtendendũ ſuã iuſtitiã conſeruet.†

† *De cor. et gra. c.* 10. *Hypo. lib.* 1 *col.* 2.

† *Augu. de libe. ar. lib.* 1. *c.* 2.

† *Aug. lib.* 2. *de lib. ar. c.* 20.

† *Io.* 1.

† *Epi. Iudæ. & 2. pe.* 2. *Auguſt. de actis cõtra Feli. à c.* 1. *vſq; ad.* 12. *quem legas rogo.*

CAPITIS TERTII. §. I.

Quid ſit homines obcæcare, indurare, & in reprobum ſenſum tradere.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

PAVLVS apertis verbis Deum tradidiſſe gentes in deſideria cordis eorum teſtatur, atque in reprobum ſenſum miſiſſe†: induraſſe pręterea cor Pharaonis & aliorum.† CAM. Non quidem deſideria mala dediſſe

† *Rom.* 1.

† *Exo*

Deum Paulus testatur: siquidem, vt dixi, malorum
† *Iaco.1.* tentator haudquaquam est: † sed tradidisse in desideria cordis eorum, inquit. In quibus verbis dum ait, desideriis eorum illos tradidisse, hominẽ prius mala optare præsupponit, quemadmodum eadem litera paulò antè testatur, euanuisse in cogitationibus suis: non autem ipsum Deum principiò hominem indurasse. Nam scriptum est: Hodie si vocem
† *Psa.94.* eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. † Vbi perspicuè cernis, hominem cor proprium, hoc est voluntatem indurare: ita vt Deus idcircò denegãdo gratias induret per iustum iudicium, quia peccator indurare cor suum cœpit per liberum arbi-
† *Augu. ad Simpl. lib. 1 q. 2.* trium. † Ac per hoc quando legimus in literis veritatis, à Deo seduci homines, aut obtundi, aut indurari corda corũ, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, vt iustè ista paterentur. † PROT.
† *Augu. de gra. & lib. arb. c. 21.* Nónne Paulus cùm dixisset, Deus quem vult indurat, homini querulo respondet, O homo, tu quis es qui respondeas Deo? vbi Deum indurare confi-
† *Rom. 9.* tetur. † CAME. Quem in modum hæc Pauli verba
† *In Catho. c. 6. §. 4. & 6.* intelligenda sint, dudum dictum est: † hîc autem vt scias quomodo homo induratur, tria in ipsa induratione considerare debes: primum, quòd homo Deo permittente, non autem iubente, peccare incipiat, sicut Adam & Eua egerunt, quos in suo li-
† *Gen. 3.* bero arbitrio relictos permisit peccare. † Secundum item quòd protinus Deus sua bonitate agit, quippe quia peccantem post peccatum ad pœnitẽtiam

vocat, quemadmodum Adamum vocauit, inquiẽs: Adam, vbi es?† vires præſtans, vt ſi voluerit, pœnitentia reſurgere poſſit. ſi verò non, in peccato ſuo maneat: hominẽ mouens ſecundum motũ ſuum†. Tertium, vt poſtquam homo vocatus, iam venire noluerit: ſed proprio libero arbitrio vtens, elegit in peccato manere, atque peccata continuò multiplicare: Deus iuſto ſuo iudicio nõ impertiẽdo gratias, hoc modo in primis cor eius induret, qui ſuo libero arbitrio indurare ſe elegit: ſic enim verba illa intelligũtur, ego indurabo, id eſt nõ molliã.† deinde verò hominem obſtinatum in reprobũ ſenſum ire, itaque in pœnam malè actæ vitæ eum mori ſinit. Sic enim (ſecũdum Auguſtinum) cuius vult miſeretur, vt ſua gratia faciat eum operari: & quem vult indurat, relinquens eum vt mala operetur. † vbi eueſtigiò ſequentia verba ſubiungit: Sed in illa, miſericordia præcedenti merito fidei tribuitur: & in iſta, obduratio præcedenti iniquitati†: ita vt non aliter illi miſericordiam ſint conſecuti, niſi quia id quod voluerunt crediderunt: iſti autem qui obcęcantur, quia noluerunt, non crediderunt.† Et alio in loco: Cuius vult miſeretur, bonum tribuens. Et quem vult indurat, digna retribuens.† volens ex hoc inferre, nunquam Deum indurationem incipere, qui hominem rectum ab initio humanæ naturæ fecit.† Hoc enim Ioſue, quem pro vobis citare ſoletis, in loco paulò antè citato teſtatur, nempe Dei ſententiam eſſe, quæ iuſtè obdurat.† Et alibi Auguſtinus: Cùm Deus illos tradidit in reprobum

† *Vt ſuprà*

† *Augu. de ciui. Dei. li. 7. c. 30.*

† *De præd. ſan. c. 6.*

† *De præd. ſanc. c. 3.*

† *De præd. ſanc. c. 3.*

† *De præd. ſanc. 6.*

† *De præd. ſan. c. 8.*

† *Eccls. 7.*

† *Ioſue 11.*

†De præd. sanct.c.10. sensum, non ibi peccatum Dei est, sed iudicium.† Sinit planè ipsum abire in desideriis suis, lumen auferendo ab eo, qui absque Dei lumine in propria cæcitate eligit ambulare. Pro quo Pauli testimonium afferamus, cùm inquit: Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobũ sensum.† *†Rom.1.* Quod in effectu nil aliud quàm permittere est, vt malus homo peccet, quemadmodum Augustinus alio in loco probat.† *†Ad Sim. lib.1.q.2.* PRO. Quid tradere est? nónne causam esse? CAM. Dimittendo tradit. PRO. Eadem non sunt illa, quæ diuersa nomina habent. CAM. Si verba scripturæ perpetuò vt iacent vsurparemus, diceremus in Christo verè esse peccatum, quia Pauli verba dicunt: Pro nobis peccatum fecit.† *†3.Cor.5.* PRO. Hoc contendimus, ne verba impropriè sumantur, cùm propriè possint vsurpari. CAM. Propriè ne stare possunt, Iacobo dicente: Deum malorum intentatorem esse?† *†Iac.1.* Perinde verbũ hoc, tradidit, vos conturbat, ac si dicere non liceat, posse Deum secundum iustitiam hominem qui sese indurare incipit, in reprobum sensum tradere, & tamen peccati causa non sit: quando aliud est, Deũ peccatorum causam principiò esse, quod non facit: aliud in reprobũ sensum peccatorem tradere. tunc enim Prophetam vt audiamus necesse est dicentẽ: Placent sibi in desideriis suis: ibunt in adinuentionibus suis.† *†Psal.8.* quod est dimittere, & ambulare in desideriis suis, non autem Dei, qui sit causa peccati. Sic planè Deus peccantes tradit in reprobum sensum, *†Rom.2.*

vt ipsi faciant quæ non conueniunt :† non autem †*Rom.2.*
quod Deus in homine peccet. Dixerat nãque Deus ad Abimelech: Tu morieris propter mulierẽ quam tulisti: habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Num gentem ignorantem & iustã interficies? Nónne ipse dixit mihi, Soror mea est, & ipsa ait, Frater meus est? Ad quẽ Dominus: Et ego scio quod simplici corde feceris, & ideo custodiui te ne peccares in me, & nõ dimisi vt tangeres eam.† Audi non dimisi, sed custodiui te ne pecca- †*Gen.* 20.
res, dimittendo, non autem tradendo. Hæc enim expendens perspicuè cernes, hominem esse qui ad peccatum solus vadit.† Deum autẽ permittere ple- †*Psal.* 77.
rumque vt homo peccet, plerumque verò à peccato custodire, ne illud committat: quod per vocem tradere, Paulus intellexit: nõ autẽ quod peccati authorem Deum esse declarauerit. Non sufficiunt ista? Prophetam audi quando dubitans de viribus propriis ne peccaret, sic cum Paulo ait: Ne des ad mouendum pedem meum. Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori.† quasi is tradatur, qui ne †*Psal.*26.
desiderio suo peccet, non custoditur, iuxta illud 38.139.
prophetę: Non me derelinquas vsquequaque.† alio-
qui, quomodo Deus dixisset: Ex te perditio tua Is- †*Psal.*118.
rael?† Sic enim Deus, etsi in malis secundum sub- †*Osee.*13.
stantiam actus cõcurrat, quę absque eo fieri nõ possent:† non tamen voluntatis peccandi causa est, sed †*De bono.*
permittit: ita quidem, vt omne bonum Domino *pers.c.6.*
adiuuante perfici intelligamus: omne malum eo

deſerente committi: volente Domino nil prorſus
†De præd. & gratc. 15 in fi. (ſecundum Auguſtinum) admitti.† non autẽ quod
Deus author peccati ſit. PR. Debile refugiũ permiſ-
†Pag. 279. ex his quæ leguntur Exo. 3. ſionis hoc eſſe Caluinus reſpondet.† CAM. Minimè
Caluinus labia aperire auſus fuiſſet, ſi indurationẽ
Pharaonis, à Pharaone initium habuiſſe, Auguſtini
authoritate animaduertiſſet: aut ſaltem aperto ore
non diceret, ſe ne in vna quidem ſyllaba ab Augu-
ſtino diſſentire. PRO. Non quidem hoc negat Cal-
uinus, imò expreſſe cauit, ne dicamus Deum indu-
rationis cauſam fuiſſe: & nihilominus ſimul con-
firmat, minime ſeſe Pharaonem induraſſe, abſque
†Pag. 280. ordinatione Dei.† Itaque Ioſuæ verba interpretatur
quando dixit: Domini enim ſententia fuerat, vt
indurarentur corda eorum, vt pugnarent contra
Iſraël, & caderent, & non mererentur vllam clemẽ-
tiam, ac perirent, ſicut præceperat Dominus Moy-
†Ioſ. 1. ſi.† CAM. His modis vos ſcripturam confundere
penes idiotas elaboratis: dicitis nanque, Dei ſentẽ-
tiam fuiſſe, vt corda illorũ indurarentur: ſed mo-
dum tacetis, quomodo induratio ipſa præceſſerit:
quippe vt illis Dei lumen reſpuentibus, Deus (vt
dictum eſt) eos indurauerit, vel in pœnam præce-
† Aug. ad Simp. lib. 1. q. 2. dentis peccati hoc egerit.† PRO. Huic argumẽto
quod propoſiturus ſum, ſi reſpondere poteris, pal-
mam tibi cedam. CAM. Cui? PRO. Deus ipſe mo-
tionũ omnium cauſa eſt: ergo Deus eſt cauſa pec-
cati, vt per motum liberi arbitrij fiat. ſiquidem li-
berum arbitrium à Deo mouetur. CAM. Deus cauſa

eſt actus: ſed non inquantum actus, cum defectu ſit: vt ſuprà oſtenſum eſt. PRO. Tenes igitur ſecũdam cauſam, etiam non agente prima agere. CAM. Non quidem ignoramus minime cauſam ſecundã agere prima nõ agente: ſed Deus, ſicut paulò antè dixi, vel adiuuat in bono, vel permittit peccare, promptus agere vel nõ agere ad nutum voluntatis noſtræ, ne homo aliter moueatur, quàm ſecundum motũ ſuũ, abſque hoc ſcilicet, vt ipſe ſit peccati author, qui omnia fecit vt eſſent bona, præſciẽs Adami caſum, cuius haudquaquã Deus, ſed ipſe Adã & ſatã cauſa fuerũt. †PR. Ne nos inducas in tentationem, quotidie oramus.† CAM. Quid verba illa obſtant? Nónne Dominus inducit, ſi permittit? Nónne Dominus nõ inducit, ſi vt peccemus cùm volumus non dimittit? Sic enim nos ſua perſeuerantiæ gratia, vel ad tempus, vel vſque in finem, ne peccemus cuſtodit. O delyrium magnum! O cæcitas inaudita! Quam enim maiorẽ poterant contra Deum blaſphemiam Proteſtantes adinuenire, quàm Deũ ipſum authorem mali eſſe contendere? ſimúlque iudicare, vt ſummum bonũ Deus, cauſa ſit peccati? Perinde enim hoc eſt, ac ſi quiſpiam diceret, ignem cauſam eſſe frigiditatis.

†*Gen. 3.*
†*Matth. 5.*

CAPITIS TERTII. §. II.

Quomodo Deus ad peccandum hominem inclinet, & omnia ſub peccato concluſerit, vt omnium miſereretur.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

† De præd. ſanc. c.20.

INCLINAT Deus hominem ad malum, Auguſtinus inquit.† CAM. Iuſto ſuo indicio publico vel occulto, ꝓpter demerita propria ipſum hominem à Deo inclinari Auguſtinus cẽſet†. Inclinat autẽ, filios non verberando, non illuminando, (quod eſt dimittere vt peccent) neque cuſtodiendo ne peccẽt. Sic enim clara voce cap. nono ad Romanos hoc omnes intelligunt: quandoquidẽ aliud eſt nõ impartiri gratiã, quàm impartiri malitiã. Sic quoq; intelligimus vt omnia Deus concluſerit ſub peccato: nẽpe quod Adamum & cæteros ſub peccato dimiſerit, vt deinde omnium miſereretur, qui ab eo tracti miſericordiam quærerent: cæteros verò iuſtè iudicaret: vt ex æquo iuſtum & miſericordem ſeſe eſſe nobis oſtenderet. neque aliter ad tempus prædeſtinatos peccare permittit, illóſque deſerit, niſi vt diſcant Dei opus eſſe, vt iuſtus non ſuperbiat. † ad quem modũ Paulum Satanæ peccatorem quendã, tradidiſſe legimus, vt diſceret non blaſphemare.† Ne dixeris, per Deum abeſt, (Ieſus Sirach inquit) ne dixeris, ille me implanauit.† PRO. Quantæ authoritatis liber ille penes nos habeatur, tu melius noſti. CAM. Hoc quidem noui, hoc & probaui, nempe his temporibus haudquaquã apocryphum dici poſſe.† PRO. Clara ſcripturæ teſtimonia ſunt, quæ docent, Dei iuſſu multos tentatos fuiſſe, qui eam ob cauſam poſtea quia peccarunt, traditi ſunt

†ad Simpl. li.1°.q.2.

Omnia cõcluſit ſub peccato, quomodo ĩtelligatur.

† Omnes in c.11. ad Ro.

† 1.Timo.1.

† Eccl.15.

† De vera eccl^a. Dei dialogo.2.

in manus inimicorum: † in quem modum Deus fuit causa peccati, affligendo illos persecutione, quam suo iussu à Satana patiebantur.† CAM. Caluini contemplatio hæc est. PRO. Immò patrum nostrorum. CAM. Sit quoque tua. PROT. Quid respondes? CAM. Finem Dei affligendo hominem, hunc fuisse, respondeo: quippe vt omnes cruciatus qui corporaliter inferuntur, aut vt exerceant conuersos ad Deum, aut vt conuertantur admoneant, aut iustè damnationi vltimæ præparent obduratos.† Hoc quidem Iesu Sirach testatur.† itidem & Iacobus dum ait, Deum tentatorem malorũ haudquaquam esse.† Paulus item cùm subiungit, Deum minimè sinere vltrà quàm possimus sustinere, nos tribulatos tentari: quin potius sic Deum nos tentare, vt faciat ex tentatione prouentum: † offerens eis spiritualia tutamina, quibus sese defendere possint. † Illorum igitur duntaxat culpa est, qui cùm possent gratiæ hærere, id respuerunt, & peccata peccatis addentes, voluntariè peccatum elegerunt. PRO. Cur ipsum tentari voluit, quem denique casurum vidit? CAM. Responde tu prius, cur Adamo ne de fructibus arboris illius comederet vetuit, cùm sciret ipsum comesturum, vnde tanta mala deinde prouenerunt? Obiectum planè Dei intuendum est, nõ hominis præuaricatio futura, in qua Deus se iustum ostẽdit. PRO. Nónne altera scriptura dicit: Cor regis in manu Dei est: quò voluerit, vertet illud?† CAM. Cùm Deus omnia moueat secundũ motum omnium† cum libero arbitrio cor Regis perpetuò

† Eccl. 5.
† Iob. c. 1.
† Aug. p. 9 col. 2.
† Cap. 5.
† Iac. c. 1.
† 1. Cor. 10.
† Eccl. 2.
† prou. c. 21
† Augu. de ciui. Dei li. 7. c. 30.

ad propriam ipſius regis iuſtitiam mouet : itidem vt & ſubditos puniat,vel remuneret. Illa lege quæ lib.primo de gratia & libero arbitrio ſcripſi.† PRO. Cur non dicemus, propterea Petrũ reſpexiſſe,quia prædeſtinatus:Iudam verò non reſpexiſſe, quia reprobatus:ita quidem, vt omnia neceſſariò eueniãt? CAM. Quare potius non dicemus, quia præſciuit Petrum vocatum reſipiſcere, Iudam verò benedictionem nolle: propterea alterum prædeſtinaſſe, alterum reprobaſſe? Itaque Petrum quem obauditurum præſciuit, reſpexiſſe: alterum quem admonuerat dicens, Vnus me traditurus eſt, væ homini illi &c.præſciens eum nõ obauditurum,obduraſſe? PRO. Tenes tu duas indurationes dari : alteram infidelium,alteram eorum qui crediderunt? CAM. Vana contemplatio Georgij Siculi hæc eſt, quandoquidem plus & minus differentiam ſpecificam non faciunt:ſatíſque eſt ob gratiæ iuſtam denegationem,vtrunque prouenire.

† *Cap. 7.*

CAPITIS TERTII. §. III.

Modus indurationis Pharaonis.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

DE hoc vno mihi reſponderi volo, cur tot ſigna in Pharaone vt ſe induraret, vel vt à Domino induraretur fiebãt? quis item indurandi modus? CAM. Multi ſic cor Pharaonis Deum induraſſe putãt, vt quoddam cor marmoreũ,nihil videns effectum ei fuerit:

Pharaonis induratio cur per tot ſigna operata fuit.

quod ſcriptura negat: dum timore, propria delicta agnouiſſe, atque vt pro ſe oraretur, petiiſſe teſtatur.† PRO. Quid igitur fuit? CAM. Nónne duo diſtincta hæc ſunt mirabilia, nimirũ Deum coram impio operari, & intellectum quoque impio dare, vt per illa protinus conuertatur? PRO. Omnino. CAM. Putáſne tu conſenſum illum hominis ad ſe conuertendum, poſſe abſque gratia ab homine haberi? PRO. Sanè non: ne cum Pelagianis erremus. CAM. Hiſtoriam igitur Pharaonis minutatim pendamus, & modum quomodo cor Pharaonis induratum fuerit, facillimè cognoſces. PRO. Matura. CAM. Signa tum Iſraëlitis, tum & Pharaoni atque ſeruis illius Dominus principiò oſtendit.† Sed Iſraël recto corde lumini oblato conſenſit, audiuítque Dominum viſitaſſe filios Iſraël, ac reſpexiſſe afflictionem ipſorum: & proni adorauerunt.† Pharao autem & ſerui eius timuerũt, atque à timore eripi rogarunt: eíſque deinde ereptis, ſeſe magis indurauerunt, ſicut verba illa teſtantur. Videns Pharao quòd data eſſet requies, ingrauauit cor ſuum.† PRO. Cur igitur à bono Deo hoc permiſſum fuit? CAM. Iuſto iudicio ſuo, ſicut toties paulò antè dixi:† vt his qui primum lumen reſpuerunt, ſecundum adiutorium denegaretur. PRO. Quod? CAM. Gratia auxiliatrix, quæ vltra lumen fidei requiritur, vt impius ad Deum cõuertatur. ſic enim illis qui fidei lumen oblatum reſpuunt, meritò hæc gratia non datur, qua denudati gratia in peccatis perſeuerant,

† *Exo.* 8. 9. 10.
† *Exo.* 3. & 4.
† *Exo.* 4. *in fi.*
† *Exo. c.* 8.
† *toto. c.* 3. *et Ioſue.* 11.

† Aug. ad Sim. li. 1. q. 2. & ita se ipsos indurant.† PRO. Quid si Augustinum negare velim, ac dicere minimè iusto iudicio id fieri, sed quia indurare ipsum, Deus pro suo beneplacito ab æterno elegit? CAME. Verba Domini haudquaquam negabis, cùm ait, Et in cũctis diis Ægypti faciam iudicia.† *† Exo. 12* hac voce, iudicia, vtens, vt portentum simul & iudicium sit, sicut alibi dixerat: Educam populum meum è terra Ægypti per iudicia maxima.† *† Exo. 7.* id est punitiones maximas, quæ in forma iudicij fierent: ita vt in pœnã omnia tenderent. sicut illa quoque verba cõmonstrant, Vsquequo non vis subiici mihi?† *† Exo. 10.* PRO. Cur mala tanta? nónne pauciora satis fuissent, vt Pharao ęterni ignis pœnas subiret? CAM. Non quidem propter Pharaonem duntaxat illa facta sunt, sed vt indurato Pharaone, cuncti electi, humili deuotione cognoscerent, in Domino, cùm à mala via recedunt, & ad bonam conuertuntur, & non in alio esse gloriandum: quemadmodum verba illa declarant: Idcirco posui te, non vt tibi duntaxat hoc ostenderẽ, sed vt ostendam in te fortitudinẽ meam, & narrent nomen meum in omni terra.† *† Exo. 9.* Ita vt eo modo, quo verba illa Abrahamo dicta intelliguntur: Nunc cognoui quod timeas Deum: id est cognoscere te feci gratia mea, quod timeres Deum: itidem dicamus, quod tanta in Pharaone fecit, vt per illa, gratiis Dei palàm ab ipsis Israëlitis expensis, pœnas quibus iustè plectuntur contumaces, & præmia quibus ditantur obedientes, ex æquo ipsi

animaduerterent: non propter se tantum, sed propter posteros quoque, vt in auribus filiorum atque nepotum ea omnia narrarent: †docentes ipsos, quomodo etsi prius Israëlitæ proni adorassent, adhuc tamen ꝓpter opus durissimũ ea ratione cõtra Moysem & Aaronem murmurauerunt, verboque Domini deinde non crediderunt: † quia gratiam perseuerantiæ adhuc non habuerant. itaque considerare possent, nullum bonum in vitam ęternam tẽdens, absque Deo neque initiari posse, neque cõsummari, neque sufficere mille miracula videre, quibus se conuertere poßint, nisi à Domino trahantur, vt credant.† Non quidem aliter ad patientiam sese in futurum præparare possent, nisi cognoscant omnia dona à Dei adiutorio misericorditer prouenire: experiẽtia discẽtes, cũ aduenerint, ex toto corde illa amplecti, ne ab illo lumen eis auferatur, qui sapientibus lumen primum negligentibus, Deúmque prout debebant, non glorificantibus, arcana sua abscondit. † hoc est, secundum lumen denegauit, vnde omnis nostra induratio originem habet: neque aliter Pharaonem quàm sua nequitia ex induratione in indurationẽ iusto Dei iudicio perrexisse, etsi maiora prodigia corã ipso de die in diẽ ostensa fuissent: quandoquidẽ absque gratia quam iustè Deus denegabat, Pharao se cõuertere ad Deũ nequibat: & ita in peccatis suis perseuerando, & ea multiplicando, cor proprium aßiduè indurabat: & hoc quidẽ vt quanto plus Pharao ex duritia

†*Exo.c.10.*
†*Exo.6.ĩ fi*
†*Ioan.6.*
†*Rom.1. et 2.*

 Scriptura

in duritiã pergebat, tanto magis Dei iudiciũ agnosceretur: qui eam ob causam prius Pharaonẽ morti non tradidit, donec ipse sese præcipitem dedit, cum cordis arrogantia fretus, iter iustorum ausus est ingredi, ac existimauit quemadmodum populo Dei, sic & sibi mare rubrum permeabile fore.† Hæc pro exemplo eorum sint, qui absque pœnitentia in propriis peccatis sibi ipsis placent: vt eò se aduenturos sciant, quò Pharao deductus fuit. Illi sanè verba Domini audient dicentis, Ite in ignem æternum, qui eius misericordiam per liberum arbitrium respuerũt.†Duo sanè homines Pharao & Nabuchodonosor fuerunt, qui quantum ad naturam ambo homines erãt: quantum ad dignitatem, ambo reges: quantũ ad causam, ambo captiuũ populũ Dei possidẽtes: quantũ ad pœnã, ambo flagellis clemẽter admoniti. Quid ergo fines eorũ fecit esse diuersos? nisi quod vnuns manũ Dei sentiẽs, in recordatione propriȩ iniquitatis ingemuit: alter libero cõtra Dei misericordissimã veritatẽ pugnauit arbitrio. Itaque vnum & idem medicamentũ, vnius medici artificio confectũ, alteri, cui odor fuit vitȩ in vitã, ad salutẽ valuit: alteri, cui odor mortis in mortem fuit, ad interitum.† sic enim homines in suo lebero arbitrio secundum suam iustitiam derelinquit, ipse rursus delinquentes deserit, resistentes indurat, contemnentes condemnat.† Iube quæso Caluinum accersiri vt videat an Augustinus sit suus. PROT. Tuo sensu abundare poteris, dum nos in omnibus his

†Basi. hom 9. an Deus sit causa malorum.

†De actis cum Felice lib. 2. c. 8.

Nabuchodonosor, Pharao.

† Aug. de præd. & grat. c. 15.

†De præd. & gra. c. 9. in fi.

quæ disseruimus, nostro abũdabimus. CAME. Vicimus ergo vtrique: vterque nostrum palmã refert: ego tui, tu verò erroris.

PROTESTANTIS PARS V.

CAPVT PRIMVM.

Tabulæ cuiusdam Lutheranæ, exclusio: in qua pictura quadam, ad fallendam indoctam plebem, de ipsa æterna prædestinatione ac reprobatione, quidam incertus author agit.

CAMERARIVS, PROTESTANS.

QVÆNAM picturæ hæ sunt, quas mihi ostendis, hominum quorundam, qui aut manibus aut pedibus quoque carent? PRO.

{DESCRIPTIO CAVSARVM SAlutis, & exitij, ex sacris literis collecta.}

CAME. Quis illius author? PRO. Ignotus mihi est. CAME. Cauendum igitur, ne quomodo truncatos homines depinxit, truncatas quoque sententias afferat, atque sacris literis contortis, his figuris pauperrimos idiotas confundat. Non quidẽ pueris loquimur, cùm de ipsa prædestinatione agimus, quibus satis est picturas cõspicere: sed magnis viris, qui arcana hæc ab aliis non minus diligenter elaborata quàm lucubrata legere optant. PRO. Poterimus, si placet, sententias quæ in eo continentur, maturo iudicio examinare: deinde verò comperta veritate, ad picturam regredi. CAM. Placet. Verùm

quia tam ipſa prædeſtinatio, quàm reprobatio, ex æquo in ea tractantur: ne confuſionem pariant, vnamquamque per ſe explicandam eſſe cenſeo. PRO. Optima propoſitio hæc eſt. Incipiam itaque ſententias reprobationis proponere. CAME. Perge. PRO. Tale eius exordium in ipſa reprobatione fuit,

†Pro.16.a.4. {Deus omnia condidit propter ſeipſum, etiam impium ad diem malum.†}

†Rom. 9.d.21. {An nō habet poteſtatē figulus, fingēdi ex eadē maſſa, aliud vas in honorē, aliud in cōtumeliā?†}

CAM. Falſo verba hæc huius picturæ author deſcripſit. PRO. Quæ falſitas? CAM. Vniuerſa Deus propter ſeipſum operatus eſt, Salomon inquit. PRO. Contraria hæc duo ſunt? CAM. Abſit Salomonem qui alio in loco Deum feciſſe hominem rectum teſtatur, †nunc dicere, Deum impium hominem condidiſſe, qui mortē non fecit, †nec peccatum nouit. † niſi condidiſſe hominem impium hoc ſenſu ille intelligat, quia Deus hominem impium ex maſſa iræ creauit. † Dominus enim vas vt eſſet iræ, haudquaquam fecit. Siquidem non erat illa in genere humano perditionis maſſa, antequā homo peccaſſet, ex quo tracta eſt origo vitiata. † PRO. Operatus eſt, Salomon inquit. CAM. Operatus, dum ſecūdum ſubſtantiā actus permiſit hominem peccare. † operatus item, cùm ſua prouidentia hominem rectum quem peccare permiſit, ad oſtēdendum ſuam iuſtitiā conſeruauit. † Non quidem

†Eccls. 7. †Sapi. †2.Cor.5. †Aug.epi.157. †Decorr.et gra.c.10. †De bon. perſe. c. 6.

hoc ſuſtinere ille poteſt, qui veritate comite, paulò pòſt hæc verba ſcripſit:

Creatio humanæ gentis, in Adamo & Eua, in recto ſtatu, quam cõſecuta eſt.

Nam conditum eſſe hominem impium, & humanam gentem in recto ſtatu creatam eſſe, duo contraria ſunt, quæ ſimul ſtare non poſſunt. PRO. Reliquas igitur ſententias quas in medium producit, diſcutiamus. CAM. Progredere. PRO. Hanc ſecundo loco ipſe ſententiam collocauit, vt modum reprobationis oſtenderet.

Præſcientia Dei æterna: rerum omnium, tam vniuerſalium, quàm ſingularum, ab æterno propoſito depẽdens: ſed quæ rationem cauſæ nullam habet.

CAM. Si hoc modo cauſam non eſſe intelligit, nimirum quia nulla ex homine cauſa, neque condigna, neque congrua oritur, quæ voluntatem Dei antecedat, dum generatim omnes rebelles ſua prouidentia ad oſtendendum eius iuſtitiam conſeruari ordinauit, aſſentior.† Si verò dicat, præſcientiam hanc, quæ prouidentiam generalem origine ſequitur: ipſam verò reprobationem ſpecialiter factam præcedit: cauſam non eſſe, cur Deus in perſona Iudæ, hanc generalem voluntatem condignè (Iudam ſpeciatim reprobãdo) executus fuerit, contradico. PRO. Qua ratione? CAM. Rationẽ hanc quam requiris, paulò antè plurimis in locis ſatis apertam oſtendi.† illa hîc repetita eſſe volo, præſertim cum Martini opinionem excluſi, cui ante hũc

† *Dixi ſup. parte.3.c.1.*

† *In Catho. c.1.§.1. §.3. c.4.§.1. & 2.c.5.o.c.8. in prin.o. et §. 1.o.& c. 9.in prin.o. §.1.o.§.2.o.*

hominem placuit, neque electionis, neque reprobationis causam aliquam, præter Dei voluntatem esse; propter quam, absque libero arbitrio omnia necessariò nos agere contendebat.† PRO. Minimè igitur ei subscribes, cùm sequentia verba addit.

† Sup. part. 3. c. 1.

Propositum seu voluntas Dei: cuius vi fiunt vniuersa. seu definitum in se ipso cõsilium, vasa ad gloriam suam fingenda destinans.

Vnde vasa

Contumeliæ: quorum est æterna, immutabilis, & imperuestigabilis.

CAM. Errat, si vasa quæ præparata in gloriã sunt, illa item apta ad iram quæ Deus sustinuit, ab ipso Deo partialitate quadam facta esse putat. Illa tu lege, quę dudum scripsi, & tibi omnia aperta erũt.† Quatenus autem imperuestigabilem hanc contumeliæ causam, ipsámque Dei præscientiam esse cẽset, non propterea sic erit, quia ipse hoc ignorat.† Satis quidem perspicuè hactenus à nobis id ostensum est.† PROT. Frustrà igitur pauló pòst verba hæc subiunxit,

† In Cath. c. 6 §. 5.

† In Cath. c. 4.

† Vt sup. §. 1. et ĩ locis paulò antè citatis.

Reprobatio: cuius causæ quidem arcanæ, sed iustæ: quia voluntas Dei, est iustitiæ regula.

CAM. Optimè sentiret, si adderet, hanc arcanam causam, ipsámque Dei voluntatem, quæ iustitiæ regula est, à scriptura nobis patefactas esse.† PROT. Deum iusto odio homines indurare fateris? CAM. Hominem qui se indurare cœpit, iusto iudicio

† In Catho. c. 4. §. 1. 8. §. 1. & c. 9.

Deum obdurare, fusissimè dudum ostendi.† PRO. † *In 4a. parte.*
Audi quid ille subiungit:

Ex istis igitur,

Vel est vocatio, inefficax. Nã animalis homo non percipit quæ Dei sunt. Homo tamẽ solus in culpa est, quia cùm sit corruptus in se ipso, sponte resistit Deo.	Vel nulla vocatio, ad Euangelium. Neque tamen Deus crudelis. nam si nullũ prorsus vocaret, nihil faceret quod corruptio nostra non mereatur.

CAM. Rectus sensus hic alter est: vocationem nimirum Dei efficacissimam: ex parte hominis, qui Deo sponte resistere potest, inefficacem reddi posse, etiam si homo adhuc induratus non esset. Nullum item iustæ querelæ homini esse relictum locũ, si eis quos incredulos fore præsciuit, Euangelium non est prædicatum: Cæteris verò quos obtempetaturos fore præsciuit, fuerit prædicatum. Nouerat planè Dominus quibus & quando Euangelium prædicandum erat, vt non solum in omnem terram exiret sonus eorum:† verũ etiam subtus terram, † *Psal. 18.*
vbi Dominus, vti Petrus testatur, illud prædicauit.† † *1. Pet. 3.*
PRO. Multa præter hęc scripsit. CAM. Id quod multiloquio, veritate contempta, hic homo dyscolis narrare in eorum gratiã conatus est: veritate comite, paucis nos in Catholico docuimus.† illa legito. † *Ca. 1. §. 2.*

CAPITIS PRIMI. §. I.

Quid de ipsa electione senserit.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

QVID de ipsa electione sentis? CAME. Multis bonis aliqua hic homo cõmiscuit mala. PR. Quę? CAM. Rectè quidem ipse, initio ab æterno proposito Dei, exordiũ sumpsisset, modũ ostendens, quomodo Dei gratia in ꝓuidentiis generalibus pollicita, in persona Adami, re pro se & aliis quos virtute in lumbis tenebat, condonata fuit: Deinde mundi peccatum cõmonstrans, vnde ipsa iræ massa constituta fuerat: ad quam saluandam, redemptorem Christum misit, in quo nos omnes dilexit: itaque eos quos præsciuit vocationi suæ obauditurOS fore, secundũ propositũ volũtatis suæ prędestinasse, vocasse, iustificasse, glorificasse. Verùm quia hæc enarrans subiungit, non ex pręscientia fidei, aut operum, sed ex Dei beneplacito hęc omnia processisse, hoc idcirco malum fuit, quia etsi Dei beneplacitum omnia sic antecedat, vt nil beneplaciti sui initium fuerit: præscientia tamen futurorũ congruũ quendã motũ, in Deo causat, vt ex his quoque quæ in Petro fore pręsciuit, iusto volito (vt ita loquar) Petri salutem, non autem Iudę, voluerit: licet causa quæ ab homine in Deum referatur, nequaquã fuerit: Nam ipsius Dei miserentis duntaxat opus gratuitũ fuit, quod tamẽ absque Petro executioni non demandasset: quemadmodum plurimis in locis apertè hoc ostendi.†

†*Vide eadẽ quæ paulò antè ĩ præscientia reprobationis aceruaui.*

Poterat quoque pictor iste verba illa, Deus enim quorũ vult miseretur, & quos vult indurat, secundum vestrum sensum intelligere, quē in Catholico scripsi.† PRO. Nónne in principio & calce illius picturę optimè his verbis rem omnem conclusit?

Gloria Dei est, rem abscondere.† O altitudo iudiciorum Dei! Quis prior dedit illi, & reddetur ei?†

CAME. Quanquam Paulus verba illa, O altitudo diuitiarum, minimè propter occultam nobis causam prędestinationis dixit:†cum ipso fatebor, neminem aliquid aut dedisse aut dare posse Domino, vt eum prædestinaret. sola enim bonitate sua motus est, quam tamen non absque homine exequitur, illius planè consensum multis ex causis alibi narrãdis† exigit, iuxta illud Augustini, Qui fecit te sine te, nõ iustificabit te sine te.†etenim cùm iustificatio & prędestinatio eodem modo procedant, † causa ex hoc notatur in ipso hominis facto à Deo pręscito, tanquam causa sine qua non fieret.†

† In Cath. c.6.§.4.5. & 6.
†Proue.25.
†Rom.11.d. 36.
†Vide.sup. in parte.3. c.1.
†Inf.ĩ Calui.c.4.§.1.
†De verb. Apo.ser.15 Psa.34.de spi.et lit.c. 5.& 9.
†Aug. de præd.sanc. c.10.
† Vide. in Cathol.c.4 §.1.

CAPVT SECVNDVM.

Quomodo ipsa reprobatio ab æterno facta, coram populo prædicanda sit.

CAMERARIVS PROTESTANS.

QVID denique ex me præter ea quę hactenus disputauimus, scire tu optas? PR. Omnia sic necessariò euenire, in summa contendo, vt tam reprobatio quàm electio, sola Dei voluntate, nullo bono vel malo

gratiarũ ſuarum vſu conſiderato, ab æterno factę ſint. CAM. Optimè à me, hæc falſa opinio tua, dudũ exploſa fuit.† PRO. Ab integro audiri volo. CAM. Num tuo arbitratu viuendũ mihi erit? PRO. Franciſcus Spiera ſum, qui certò ſcio, abſque cauſa eo tempore quo non eram, me reprobatũ fuiſſe. CAM. Id quidẽ quod tibi iure eueniet, fortaſſe nunc diuinas. PRO. Qualiſcunque in pręſentia ſim: talis ero, qualem me Deus futurum eſſe pręſciuit.† CAM. Quia talem ab ęterno te eſſe pręſciuit, vt omnino condemnandus eſſes, idcirco ante tempora ſecularia te reprobauit.† PRO. Hoc mihi ſacrę ſcripturę teſtimoniis oſtendi velim. CAM. Quanquã perſpicuè hoc in locis à me paulò antè citatis, cõmonſtrauerim, tua cauſa libenter, denuò omnia explicabo. PR. Perge. CAM. Quinque, oculis pręponere hi debẽt, qui reprobationis cauſam oſtendere nituntur:

† In 2. parte c. 2. 3. & 4. In parte 3. c. 1.

† Aug. de bon. perſ. c. 15.

† Sup. in Cath. c. 1. §. 1. & 2 c. 4. §. 1. c. 8. in pº. & §. 1. & c. 9.

1 ☙ Prouidentiam in primis generalẽ, qua Deus voluit omnes in iuſtitia originali creare, vt omnes in æternam ſalutem dirigeret.

2 ☙ Prouidentiã generalẽ, qua omnes redimere voluit, qui in Ieſum Chriſtum crederent.

3 ☙ Prouidentiam generalem, qua omnes iniuſtos ad oſtendendum ſuam iuſtitiam cõſeruari præordinauit.

4 ☙ Præſcientiam omnium futurorum.

5 ☙ Prouidentiam generalem, qua rebelles ad oſtendẽdum ſuam iuſtitiam reſeruauit, ſpecialiter in Iudam executam.

PRO. Demus iſta ſic eſſe: quid tum deinde? CAM. Tuum nunc erit, ea in medium promere, de quibus tibi reſponderi vis. PRO. Fateris tu me certum meæ reprobationis eſſe. CAM. Præſentem iniuſtitiã tuam intueor futurámque damnationem coniecto: quòd autem ab æterno reprobatum te eſſe certò ſcias, eam ob cauſam nego, quia, vti dudum apertis ſcripturę teſtimoniis probaui, nemo ſuę reprobationis vel prędeſtinationis certus eſſe poteſt.† REP. Hominem tibi ego proponam, qui ſuæ reprobationis certus eſſe poſſit. CAM. Quis ille? REP. Fingamus rogo Maurum adeſſe, qui dicat, Quoniam nemo ad Chriſtum accedere poteſt, quem pater prius nõ traxerit:† Deus qui me nõ traxit, in cauſa fuit, ne ad Chriſtum irem. Etenim ſi me traxiſſet, vocationi ſuæ conſenſum prędtitiſſem: quo præſtito, ab ęterno me prędeſtinaſſet. quid tu illi reſponderes? CAM. Quamuis bonus Deus omnes vt ad Chriſtum veniant, ſua generali prouidentia vocauerit: quia tamen multi venire noluerunt.† Hoc pręſciens, ſuam gratiã in eorum cordibus non infudit.† Sic enim cùm pręuidiſſet fruſtrà Euangelium quibuſdã prędicari, non ſolum fidem non dedit, ſed & Euangelij prędicationem eis denegauit.† & hoc quidem rectè: vt quibus credere propter ea quæ in illis præſciuit, non eſt datum: iuſtè vnde credant fuerit denegatum.† Eſaiæ memor Maurus iſte eſſe debet, cùm ait: Non dicat filius aduenę, Separauit me Dominus à popolo ſuo:† ſed duritiam

†Sup. parte 1. c. 2.

†Ioan. 6.

Maurorũ reprobatio.

†Tho. Ioan. 6.

†Ambro. Rom. 9.

†De bono. perſ. c. 14.

†Eſai. 66.

propriam arguat, dum propterea quia nolebat credere, iusto Dei iudicio eius incredulitas aucta est: quando non alia ratione Iesus in parabolis plerunque Euangelium prædicauit, † nisi vt nolentes veritati credere, mendacio in pœnam tanti peccati crederent,† itaque reprobati obdurarentur. REP. Certi ergo Mauri, suæ reprobationis saltem esse possunt. CAM. Nónne duodecim horæ sunt diei? † Suspicari nanque magna cum ratione hoc possunt, determinare nequaquam. Quis enim cogitasset Paulum persecutorē, vas electionis fore? Hactenus de Mauris ipsis. PRO. Ad rem igitur redeamus. CAM. Poteris tu reprobati personam induere, ac ea proponere quæ ex me scire optas, vt tuis acclamationibus finis imponatur. PRO. Augustini certè verba hæc sunt: Siue nunc rectè viuatis, siue non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præsciuit, vel boni si bonos, vel mali si malos.† CAM. Augustini. PRO. Dei igitur præscientia, omnium peccatorum meorū causa fuit. CAM. Quæ obtrectatio nefaria in Deum hęc est, vt peccati Deum authorem facias? REP. Palàm vos fatemini, Deum saltem secundum substētiam actus, causam peccati esse.† CAM. Non tamen ipse, hominem peccare iubet. REP. Præsciendo iussit. CAM. Non propterea quia peccata & obstinationem tuam in qua morieris præsciuit, obstinatus peribis: sed potius cōtrà, quia sponte libero cum arbitrio peccare, obstinatúsque esse voluisti, ab æterno

† Ioan. 8. et ibi, Aug.
† 2a. Thes. 2.
† Io. 11.
† De bono. perst. c. 15.
† Augu. de bon. perseu. c. 6.

antequã esses, ab illo, qui omnia antè q̃ fiant, quasi facta pertractat, & siue sint punienda, siue munerãda, in præsciẽtia sua iudicat. † specialiter reprobatus fuisti. † hoc est, te à consecutione æternæ gloriæ deficere permisit: † effectus hos reprobationis in manu tua relinquens: quod est secundum substãtiam actus vt pecces permittere, eò quòd nihil eo nõ iubente, vel permittente, aut deserente, ipse homo facere potest. † PRO. Nónne ob hoc saltem Deo imputãdum est, quia hominem quem creauit, peccare permisit, nónne melius eum nõ creare fuisset? CAM. Saluberrimè confitemur (Augustinus inquit) quod rectissimè credimus, Deũ Dominúmq; rerũ omniũ, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exortura esse præsciuit, rectè iudicasse magis ad suã omnipotẽtissimã bonitatẽ pertinere, de malis bene facere, quàm mala esse non sinere. † PRO. Si hæc omnia dedero, id saltem negare non poteris, quippe me antequàm essem reprobatum fuisse. CAM. Facta tua præsentia ei ab æterno sic nota fuerunt, sicut Christo in die magna erunt: quibus inspectis, eodem modo à Patre reprobatus fuisti, quo à Christo condemnaberis. PRO. Num criminalium causarum Deus ipse iudex erat, vt inspecto processu vitæ meæ me condemnauerit? CAM. Scito non aliud reprobationem esse, quàm iustam Patris sententiam, qui iustitia comite, nõ secus aduersus reprobatũ procedit, quàm si iustus iudex ex ꝓbatis in processu in homicidam sententiam proferret.

† *Augu. de præd. Dei. c. 3.*
† *In cath. 4 §. 1°. et aliis locis suprà citatis.*
† *sup. 1 cath. c. 1. §. 3.*
† *De bono. perse. c. 6.*
† *De cor. et gra. c. 10.*

Reprobatio iusta Dei sententia.

REP. Quid iſtud? CAM. Iuriſconſultum Italum te eſſe, ſocij tui mihi retulerunt. REP. Sum quidem. CAM. Experientia ergo edoctus es, principiò iudicem ea quę in proceſſu continentur legere: deinde verò quid iuris ſit (Pandectis accuratè lectis) eum indagare: vnde poſtremò quoddam propoſitum mente concipit, vt reum hominem condemnet: illúdque tandem, cùm ſententiam proferre vult, verbis veſtit. REP. Qua ratione ab ipſo Deo hæc fiant, haudquaquam video. CAM. Quanquam exemplis rerum mundi huius, ſuperna oſtendere, difficile ſit: dicere tamen poterimus, præſcientiã omnium futurorum, quæ in Iuda fore Deus præſciuit, ipſi Deo pro proceſſu fuiſſe: Iuriſprudentia, lex æterna fuit: Propoſitũ, ipſa præparatio pœnæ, quam ab æterno Iudam in inferno daturum præordinauit: verba quibus propoſitum ſuum veſtiet, verba ipſius Verbi incarnati erunt, cùm Chriſtus dicet, Ite maledicti in ignem æternum vobis paratum à conſtitutione mundi. à quo ſi cauſam condemnationis ſcire voluerint, ſequentia verba audiẽt, Sitiui, & non dediſtis mihi bibere: nudus eram, & non cooperuiſtis me.† REP. Nónne fabulæ hæ ſunt, vt Iudam propterea condemnet, quia bibere Ieſu non dedit, omiſſa cauſa, quòd Ieſum crucifigendum tradidit? CAM. In iudicio condemnationis, propter hoc, & alia peccata, Iudas condemnatus fuit, iuxta illud, Semel ſtatutũ eſt mori, & poſt hoc

† *Matt.25.*

Quā obrem Iesus dicet, quia sitiui, & non dedistis mihi bibere.

iudicium.† REP. Quā igitur ob causam Iesus verba illa dicet? CAM. Vt finalem impœnitentiam reprobatorum ostendat. REP. Quid commune ipsa misericordiæ opera, cum peccatorum pœnitentia habent? CAM. Vtinam cùm fidelia opera misericordiæ, salutem nobis parare negatis: Anabaptistæ verò multiplicatione baptismi peccata mundari censent: hoc baptisma operum misericordiæ, oculis ambo proponeretis, quo peccata post baptismū commissa redimere valemus.† Sic enim per bona opera salutem nostram certam facimus:† siue cùm semel iustificati, iustificamur adhuc†: siue cùm in iustitiam gratuitam, deperditam iam, pœnitentia restituimur. Non quidem lucidius obdurationem vestram finalémque impœnitentiam Deus ostendere potuisset, ob quam ab æterno reprobati fuistis: quasi his verbis dicat: Propterea misericordia mea indigni estis, quia vt peccata vestra pœnitendo redimeretis, misericordiam facere noluistis. Et cùm miseria damnatorum minimè in malis huius vitæ consistat, sed in hoc quod intellectus hominis totaliter diuino lumine priuetur: & affectus, à Dei bonitate, obstinatè auertatur: † hoc in die iudicij, à verbo incarnato considerandum erit.† REP. Quando infantes quos Christus saluabit, bibere ei dederunt? CAM. Adultis planè verba illa Iesus loquetur, qui peccantes, pœnitentiam agere potuerunt. ipsi verò infantes quibus operari non licuit, in iustitia quam fide Ecclesiæ & gestantis in

† Heb. 9.

† Dixi ĩ li. de eleemosyna. c. 4. §. 1.

† 2. Pet. 1.

† Apo. 22.

† Tho. ĩ op. 3. c. 175. & 174.

†In Catho. c. 4. §. 1. lauacro acquisiuerunt, in gloriam resurgent.† O vos Protestantes infœlices, qui Christum plenis buccis confitentes, factis perpetuò ipsum negatis. PROT. In quo? CAME. Dum iustum esse Christum palàm confitentes, iniustum Patris iudicium re esse asseueratis. PROT. Latere nos hanc iustitiam contendimus. CAME. At hoc quare, nisi quia verba Iesu, vt decet, ponderare non vultis, quibus suum iudicium & patris, eodem modo procedere declarat? Ipse nanque dixit, Iudicium meũ iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed eius qui misit me. Non quòd propriam voluntatem non habeat, sed quia Dei voluntas sua est, cùm eius voluntatem facit. †Ioan. 5. †Non possum à meipso quicquã facere. sicut audio, sic iudico: & iudicium meum verum est. †Vt suprá, †Quę audiui ab eo, hęc loquor in mundo.† †Ioan. 8. Ego quæ vidi apud patrem loquor: sicut docuit me pater, sic loquor.† †Vt suprá. quę cùm ita sint, quomodo Iesus causam condemnationis in die iudicij patefaciet, si pater absque causa condẽnauit? Num nunc illud ęternitatis, tempus iudicij non ambit, vt simul cum patre, filius non iudicet? REP. Satis est mihi, voluntatem Dei qua me reprobauit, etiam Catholicorum sententia, & natiuitatem meam, & opera mea, & mortis diem, ipsámque Dei præscientiam operum meorum, pręcessisse. quis enim voluntati Dei resistere potest?† †Rom. 9. CAM. Voluntas Dei qua te reprobat, generatim & speciatim considerãda est. PRO. Quid & hoc? CAM. In figura à

me proposita, id quod tu contendis, apertè vidisti: nempe nil voluntatem Dei generaliter prouidentis præcedere: dum omnes quotquot à iustitia, vel originali, vel gratuita, exciderint, vel ipsam gratuitam respuerint, ad ostendendum eius iustitiam cõseruari ordinauit. At nos de ipsa reprobatione speciatim in persona Iudę facta nunc tractamus: quam pręscientia futurorum omnium, sic antecessit, vt eadem voluntas Dei generalis, propter mala opera Iudę pręuisa, quæ ipsi Deo præsentia erant, speciatim condignè in persona Iudæ fuerit exequuta.† sic enim pręscientiam malorum operum, quæ voluntatem Dei origine non præcessit, ipsum actum reprobationis præcessisse asseruimus.† Ad hęc Augustinũ audiamus dicentẽ, Quare homo moritur? quia Deus ad mortem illum prædestinauit. Quare Deus ad mortẽ illum prædestinauit? quia iustus est. Quare iustè facit? quia homo peccauit.† Quomodo est peccatũ ante prædestinationẽ? quia pręsentia ei omnia sunt.† Quare origine præscit peccatum antequàm condemnet? quia eum non decet reũ antè condemnare, quàm peccet,† & quia eum reprobauit illud pręsciuisse cõstat. REP. Impoténs ne Deus est, aut difficile ei fuit sic me vocare, vt ad Christũ venirẽ? CAM. Cogi potius optabas, quàm congruenti modo vocari, vt libero cum arbitrio ad Christum venires. Illum planè hominem te induere nunc video, qui hunc in modum loquebatur: Pręcipe mihi quid faciam: & si fecero, tibi gratias

† *In Cath. c. 4. §. 1. cũ concor.*

† *Vt suprá.*

† *De præd. Dei c.*

† *In Cath. c. 5. & c. 9.*

† *Amb. 20. ad Rom. c. 9.*

agam. si autem non fecero, non ego corripiendus sum.† parum animaduertens, voluntarios milites in hac Christiana militia Deum velle:† eámque ob causam, congruo modo, vt venire possint, si voluerint, omnes vocare.† REP. Parum Deus prestat illis qui venire volunt. CAM. Cum velle & perficere à Deo sit,† quid absque Deo animalis homo posset? REP. Cur rectius non dicis, nullo modo reprobatos vocasse? CAM. Paulò antè, vocationẽ omniũ ostendi.† PRO. Meam particularem inquiro. CAME. Dic rogo, an persæpe in mentem tibi venerit, vt orares, ieiunares, concionẽ sacrúmque audires, istiusmodíque reliqua faceres? REP. Vtique. CAME. Tuásne cogitationes à natura prouenientes, illas fuisse autumas? Non quidem, sed spiritus mouentis inspirationes fuerunt, quas tu contemnens, in hæc verba plerunque prorupisti: Cur orabo, si ipse antequàm petamus, nos audit? Ad quid sacrum audiam? Vtinam par caligarum tãdiu mihi seruiret, quandiu sacricolum secerdotem semel audiuisse sufficit. Num ego concionatores audiam, quorum finis est vt nostras pecunias extorqueant? Quid Deo mea ieiunia prosunt? Ieiunẽt cucullati, magna farragine offarũ, pisciúmque, ventres suos replentes: hunc in modũ perpetuò in pios, religiosos, religiosáque opera, immò & in ipsum Deum debacchãs. Ecce dies citò aduenict, in qua reprobati turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustia spi-

† De corr. & gra. c. 3.
† Amb. de sanct. & vita beata.
† August. ad Sim. lib. 1. q. 2.
† Philip. 2.
† In Cath. c. 7. §. 1.

ritus, dicentes intra ſe: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos autem inſenſati, vitam illorũ exiſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt? ergo errauimus in via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis.† Hæc reprobati cotemplentur: neque his ſacrilegis blaſphemiis Deum arguant, quaſi aut abſque cauſa illos reprobauerit, aut iuſtitiæ lumen eis non dederit, quod ipſi quoque Iudæ, oblatum fuiſſe, in illis verbis cernimus, cùm dixit, Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. lumen tamẽ ipſe noluit, ſed laqueo ſe ſuſpendit,† & medius crepuit.† Sua facta reprobati condemnent. ſiquidem dum Ieſus ſic eos cõgregare voluit, ſicut gallina congregat pullos ſuos: ipſi oblatam gratiam accipere neglexerunt.† Mala opera ſua redarguant, dicentes: Iuſtus es Domine in omnibus quæ feciſti nobis, & omnia iudicia tua vera: quia in veritate et iudicio ſuperinduxiſti omnia hæc propter peccata noſtra†. Noli, quæſo, tu quiſquis es, iniuſtitiæ Dei, culpam tuæ indurationis aſſcribere, putans quod nullam Dei miſericordiam ſis conſecutus.† Ad hæc omnes animaduertant, vt deinde modum ſciant ſecundum quem Deus quẽ vult indurat, & cuius vult miſeretur:† & qua ratione vaſa apta ad theſaurizandum iram, patienter ſuſtinuerit: vaſa verò apta in gloriam, ad gloriam preparauerit.† Ad vos denique, ô viri diuitiarum ſer-

† *Sapien. 5.*
† *Matth. 27*
† *Act. 1.*
† *Matth. 23*
† *Dan. 9*
† *Aug. de prædeſt. & gra. c. 14.*
† *Rom. 9.*
† *Rom. 9.*

monem hũc meum couertam: ad vos pręſertim ſeniores reprobatos, qui nunquam mori velletis, etiãſi eſſetis cum Chriſto. Ecce iã prope eſt tẽpus, in quo anima & corpore mori velletis: ſed non poteritis mori. Ecce tẽpus in quo dicetis montibus, Cadite

†Luc 23. ſuper nos, cooperite nos: & nõ exaudiemini. †PRO. Sine cõcionatores ſuo officio vti, tu verò me audi. CAM. Perge. PRO. Nónne ſi Deus finẽ meũ pręſciuit, adeò certus eſt, vt mutari nõ poſſit? CA. Ita eſt. PRO. Ergo id quod Deus vidit, ſic neceſſariò erit, vt omne liberum arbitrium è medio auferatur. quod ſi aufertur, quid præuiſus hominis bonus vel malus vſus præſtare potuit, vt eo intuito Deus vel reprobauerit vel elegerit? Etenim ea præſciuit, quæ propter eius voluntatem neceſſariò operamur. CAM.

„ Duo errores, huius tui delyrij cauſa fuerunt. Alter,
„ quia in Deo præteritum tempus ponis, cum inquis,
„ Deus vidit. Itidem & futurum, cùm ſubiungis, ergo ſic erit. non animaduertens vnicum nunc æternitatis omne tempus ambire, ſicut dudum figura

† Parte. 2. c.4. ſatis clara oſtendi, †neque aliquod neceſſarium, niſi
„ ex ſuppoſitione, conſiderari poſſe. †Alter quia Dei
†Vt ſup. „ ſimplicem ſcientiam, cauſam rerum neceſſariã eſſe
„ cenſes: in quo magnopere hallucinaris. multis nãque
„ ſcripturæ teſtimoniis, patrúmque authoritate
„ contrarium verum eſſe, paulò antè oſtendi. immò ſic rem ſe habere, quamplurimis exemplis idiotas

† Sup. in 3. parte. c. 2. §. 2. quoque docui, † illa ſi placet legere poteris. quæ hîc repetita eſſe volo, ne eadem ſæpius deſcribere

cogar. PRO. Si finem meum, qualiſcunque erit, Deus præſciuit, & his à te in medium productis rationibus iuſtè condemnor, nulláque redemptio in inferno erit, vbi nec iuſtorum ſuffragia nobis prodeſſe poterunt: ſatis equidem interea temporis gaudendum eſſe cenſeo: certus quòd ſi ignis pœnæ magnæ fuerint, maiorem viribus me Deus fecit, vt illas in æternũ ſuſtinere poſſim. Quis enim effugere conabitur, quod impediri non poteſt? CAM.
,, Duplici ratione, optimam vitam, quantũlibet dam-
,, natus, oculis tuis proponere deberes. altera, vt bea-
,, titudine vitæ huius, quã morigerati philoſophi (etſi
,, nil curæ eorum animarum poſt mortem, illis ſit)
,, omni ſolertia inquirunt, tu quoque potiaris. hanc
,, enim ob cauſam ipſi quoque Epicurei honeſtę vo-
,, luptati operam dabant. Altera, vt propterea quia
,, multæ manſiones in inferno ſunt, non refrigeran-
,, tes, ſed magis affligentes† iuſtiorem vitam ducens, †1ª.q.10.3.
,, minores ſaltem cruciatus ſentias. REP. Quid mea 2m. 12ª.q.
,, intereſt, vel ſeptem, vel decem gradibus vri, nónne 67.a.4.2m
,, exurar? CAM. Viuens experiri poteris quid ſit, in
,, aquam bullientem digitum immittere: deinde verò
,, in feruens oleum: poſtremò ſupra prunas: vt expe-
,, rientia rerum magiſtra, nunc iudicare incipias, an
,, tua interſit minores pœnas dare. Scripſerim hæc pauca veluti Epilogo quodam totius libri, in quo reliqua legere poterunt quæ reprobatis recẽſenda ſunt. Et hoc quidem vt concionatores ſuo ſublimiore ingenio reliqua ſupplentes, ipſos quoque re-

probatos, vt rectè viuant, hortari facilè possint, ori eorum frenum imponentes, qui dicere consueuerunt, Quæ mea culpa, si nescio quod Deus mihi scire non dedit? Accepi enim fidem quæ per dilectionem operatur: sed nullam vsque in finem perseuerantiam accepi. Cur igitur condemnor? PRO. Nónne iustè hic reprobatus conqueritur? CAM. Si enim sicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi, & tamē ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audiuisse Euangelium Christi, cùm fides ex auditu sit, quāto minus se liberabunt qui dicturi sunt, perseuerantiam non accepimus?† PRO. Quare Euangelium omnibus sic non est prędicatū vt omnes crederēt. CAM. Præscientiam Dei in causa fuisse, vt non obtemperaturis vsque in finem prædicatum non fuisse dudum ostendimus. vbi autem est prędicatum, satis fuit omnes ęquali vocatione vt venire possent vocasse.† PRO. Cur secundum popositum vt venirēt, dyscolos non vocauit. CAM. Quoniā quos secundum propositum elegit, illos secundum propositum deinde vocauit. & cùm dyscolos secundū propositum, eorum culpa, ante electionem origine præscita, eligere non potuerit: minimè eos deinde secundum propositum vocare potuit. Sat est secūdum prouidētiam generalem multos esse vocatos: prædestinando autem paucos esse electos.† PROT. Iudas electus à Christo fuit, iuxta illud, Ego omnes

† De corr. & gra. c. 7

† Augu. ad Simpl. li. 1. q. 2.

† Augu. de corr. et gra. c. 7.

vos elegi.† Et tamen damnatus fuit. CAM. Aliud est aliquem ad ſalutem cum propoſito ab æterno eſſe electum. Aliud ſimpliciter aliquē ad officium aliquod particulare eligi, ſicut Iudas ad apoſtolatū electus fuit.† Oſtende aliquem, ſi placet, qui recto corde lachrymis ad mortem vſque, vt ſalutem per Chriſtū obtineret, petierit: & electū cum propoſito non fuiſſe: vt Deum inęqualem prouiſorem dicamus, qui vnum obauditurum prædeſtinauit, alterum non. quæ ſi oſtendere non poteris, præſcientiam futurorū effeciſſe, vt vnus diſcerneretur, alter non, palàm confitere. PRO. Quid ſub hac incertitudine faciendum erit? CAM. Pulſate vt aperiatur vobis:† petite, & accipietis.† Neſcientes enim quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, quis non pertineat, ſic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus ſaluos fieri.†

† *Io.6.*
† *De corr. & gra. c.7.*
† *Mat.7.*
† *Vt ſuprà*
† *Augu. de corr. et gra. c.15.*

PARTIS QVINTÆ.

CAPVT TERTIVM.

Quomodo electorum prædeſtinatio ab æterno facta, coram populo prædicanda ſit.

PROTESTANS, CAMERARIVS.

SVPEREST Camerari, vt de ipſa electorum prædeſtinatione agamus. CAME. Cùm quęſtio hæc diſperſe à nobis hactenus tractata ſit, atque adeò luculenter explicata, vt non abſque battologiæ nota id ipſum nunc agere valeamus, paucis rem ipſam abſoluemus. PRO. Perge. CAM. Memor iam es fi-

guræ in capite præcedenti à me propositæ? PRO. In memoria habeo. CAME. Nil itaque nunc addendum est, nisi vt contempleris eodem modo ipsam præscientiam omnium futurorum, prouidẽtias origine in ipso pdestinationis opere sequi, actum verò prædestinantem origine præcedere, sicut in ipsa reprobatione præcessit. PROT. Sit ita, quid tum deinde? CAM. His explicatis, vnico argumento vtar, quo omni necessitate exclusa, liberũ arbitrium cum pdestinatione coniungam. PR. Quo? CAM. Dei bonitas sua generali prouidentia ab ,, æterno omnes per Christũ redemptorẽ saluos esse ,, voluit, qui salui esse vellent: ab æterno sciuit Petrũ ,, saluũ esse velle: ergo generalis Dei prouidentia præ- ,, destinationem tanquam partem subiectiuam sub ,, se continens, specialiter in persona Petri execu- ,, tioni demandata ab æterno fuit. Hoc enim argu- ,, mentum omnem necessitatem excludit, liberúm- ,, que arbitrium cum prædestinatione connectit. PR. Minimè hoc quod in tempore consummatur, sed id quod ante tempus prædestinationis factum est, scire optamus. CAM. Cum nil Deus in tempore faciat, quod ab ęterno non fecerit: hinc Paulus ea quæ Deus prædestinando fecit, in tempore manifestata esse inquit.† PRO. Quis hoc audiat, propterea Petrum esse pdestinatum antequàm esset, quia salutem voluit? Nota quidem propositio est, non entis nullas esse partes. CAME. Cùm omnia, siue in causis, siue extra causas, tanquam suæ æternitati

† 2. Tim. 4.

coëxistentia ipse Deus cognoscat† hac ratione futura omnia, antequam penes nos sint, tanquàm producta ipse præscit. Hoc enim nemo, qui Paulo aduersari non velit, negare potest, eo dicente: Quos præsciuit, hos prædestinauit. quando etsi præscientia absque prædestinatione considerari potest, prędestinatio tamen ipsa sine præscientia esse nõ potest.† PRO. Contendis fortasse, prædestinationem Petri, gratis factam non esse? CAME. Absit. PRO. Cur igitur Petri consensum requiris? putás ne quasi per partes, opus prædestinationis esse cõsummatũ? CAM. Sola dei voluntas est, qua Deus tanquam prima causa Petrũ gratis saluat. solus præterea Deus est, qui propter ea quæ fore vidit in Petro, tanquã causa secunda primæ voluntatis suæ vnita, iusto volito Petrum in gloriam prædestinauit, Iudam verò reprobauit.† PRO. Ecce quàm bellè Pelagianam hęresim instauras, quibus placuit hominis factum

„ prædestinationem præcedere.† CAM. Absit. illi nã-
„ que, meritum condignum ex homine oriri, quod
„ voluntatem Dei pręcederet, ponebant: ego verò
„ nullum meritum neque condignũ, neque congruũ,
„ quod vel Dei voluntatem pręcedat, vel ab homine
„ in Deum tãquam causa prędestinationis referatur,
„ propono: sed meritum congruum considero, quod
„ Dei voluntatem sequatur: vt ex his quę vidit in
„ Petro, specialiter voluerit prędestinare Petrum: non
„ autem vt propter illa quę vidit in Petro, quasi in
„ Deũ relata, prędestinauerit Petrum. Notatur enim

† *Parte 2. c. 1.*

† *De præd. sanct. c. 10.*

† *In Cath. c. 4. §. 1. c. 8. §. 1.*

† *Dixi in cath. c. 3. et 4. §. 1.*

„ cauſa per id quod in Petro prȩſciuit, ſine qua Deus
„ ſuam genericam voluntatem ſaluandi omnes, ſpȩ-
„ cialiter in Petro executioni non demandaſſet: non
„ ſecus ac ſi diceremus, ex hoc voluit illud, ſed non
propter hoc, illud voluit.† PRO. Nónne Deus in iuſtitia originali, abſque homine, iuſtos omnes genuit? CAM. Vtique. PRO. Eodem ergo modo maſſam perditionis regenerauit. CAM. Contrarium Nahum Propheta teſtatur, cùm ait, Deus mundãdo non facit innocentem.† PRO. Quid hȩc ſibi verba volunt? CAM. Id quod Auguſtinus dixit: Qui fecit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te.† PR. Quid cauſȩ vt regeneratio aliter fiat, quàm ipſa generatio facta ſit? CAM. Quoniam homo antequàm
„ generatus eſſet, nil corde vel ore in Deum com-
„ miſerat, abſque homine in originali iuſtitia cre-
„ atus fuit. cùm verò corde & ore à vero Deo apo-
„ ſtatando ſerpenti obediuit: vt debitus honor vero
„ Deo, ei obediendo daretur, ſtatuit Deus vt hoc
„ modo iuſtificaretur homo: nempe vt corde ad iu-
„ ſtitiam in Ieſum Chriſtum crederet: oris autẽ con-
„ feſſione eum ad ſalutem confiteretur.† PRO. Quis
iſta teſtatur? CAM. Auguſtinus, quem veſtrum eſſe contenditis in cauſa fuit, vt iſta cogitarem, ſic enim ipſe inquit: Quomodo autem iuſtificat impiũ, niſi credentem & confitentem? quia corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.† qui enim contradicit, quomodo poterit iuſtificari?† ſic enim Deus, qui ȩqualis prouiſor eſt, propterea eorũ

† Vt dixi in Cath. c. 4. §. 1.
† Nahũ. 1.
† De verbis Apo. ſer. 15.
† Rom. 10.
† Aug. Pſa 34. de ſpi. & lit. c. 5. & 9.
† Aduer. Pelag. c. 19.

Cui vult miseretur

„ quorum vult miseretur, quia eorum qui corde ad
„ iustitiam crederent, ore præterea Christum ad sa-
„ lutem confiterentur, ab ęterno misereri, secundum
„ propositum, hæc præsciens, voluit. Itaque voluntas
„ eius generalis, homine volente, quem velle præsci-
„ uit, specialiter gratis executa est: gratis inquam, eò
„ quòd pręscientia futurorum, eius generalem volū-
„ tatem, in generali sua prouidentia ostensam, qua
„ omnes saluos fieri voluit, origine subsequitur: &
„ quāuis actum prędestinationis pręcedat, ob quod
„ Dei prædestinantis voluntatem præcedere videtur,
„ ipsam tamen voluntatem eam ob causam non prę-
„ cedit, quia prouidentia generalis illa est, quæ prę-
„ destinationem, tanquam partem subiectiuam sub se
„ continens, pręsciens Petrum salutē velle, eum (pri-
mam voluntatem exequendo) prædestinat.† Econ- †*Dixi in Catho. c. 4. §. 1.*

Quem vult indurat.

trario verò Deus quos vult, eam ob causam indu-
rat, quia generali prouidentia altera, qua voluit ab
ęterno omnes rebelles ad ostēdendū eius iustitiam
conseruari: pręsciens Iudā nolle benedictionē, (quę
elongata est ab eo)† Iudā, hanc voluntatē generalem †*Psal. 108.*
exequendo, in specie reprobauit. deinde autē quia
obduratio effectus reprobationis est, iusto iudicio
eundem indurauit. Ita quidem vt neque induratio
absque præscientia peccati, quod reprobationem
origine præcedit: neque prędestinatio absque præ-
scientia futuri consensus hominis, boníque vsus
gratiarum Dei, factę fuerint. vnde & illud quoque
satis explicatur, cùm Paulus dicit, Non ex operibus

nostris, quæ suam voluntatem generalem vel specialem, tãquam causa quæ ex homine in Deum referatur, præcesserint: sed gratis præcedente præ-
» scientia boni vsus in Petro, sua bonitate Petrum
» prędestinauit. Poterat quidẽ Deus omnes sic in iu-
» stitia originali creare, vt ab ea excidere nõ possent:
» poterat quoque omnes sic vocare, vt omnes redẽ-
» pti essent. sed vbi tunc iustitia Dei? Hinc sanè, con-
» gruenti modo vnunquẽque vocandũ esse duxit, vt
» omnes spõte ab eo adiuti venire possent, itaq; obe-
diẽti parti cuius miseretur in die magna diceret: Venite benedicti patris mei. parti verò alteri quæ rebellis fuit, Ite maledicti. Hæc Protestãtibus referas
» obsecro, vt videãt an verba illa, Ergo cuius vult mi-
» seretur, & quẽ vult indurat: sic eorũ sensu explicãda
» sint, vt quasi absque causa Deus vel misereatur, vel
» induret, vti ipsi, tũ cocionando, tũ scribendo, tum
» varias picturas fingendo, pauperrimos idiotas fal-
» lunt. vel potius iustitia comite misericorditer Petri
» misereatur, Iudã verò condignè induret. Illud item
» ne prætereas velim, quod apertis buccis coram in-
» docta plebe etiam in hipocaustis recensere solent,
» vt hac ratione, quia Paulus dixit: Quid adhuc
» quæritur, Voluntati eius quis resistit, proinde
» prædestinatio & reprobatio necessariæ sint. PRO.
» Nónne Pauli verba illa sunt? CAME. Paulus illa
» scripsit, non tanquam sua, sed tanquam ab ho-
» mine reprobato dicta. sic enim ipse exorditur. Dicis itaque mihi, tu reprobatus: Quid adhuc quæ-

ritur, voluntati eius quis resistit? PRO. Si reprobatus ista dicit, quid aliud illi respondere poteris, nisi cum Paulo dicere, O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicet figmentum &c. CAM. Illa lege quæ Driedoni in explanatione verborum horum ostendi: † vt quomodo reprobatus homo, Pauli authoritate nil loqui contra Deum potest: eodem tu his lectis taceas. Quid enim reprobatus vt dicat habet, qui in massa perditionis ob originale peccatum iustè relinqui poterat? quid deinde si vocatus vocationi Dei obaudire noluit? Canticum hoc nouũ cum Ecclesia Catholica Protestantes concinant, nempe Deum voluntate sua generali motum, quæ solam diuinam bonitatem pro causa habuit, homines in gloriam ordinasse: cui secundam causam eorum quæ præsciuit addidit, vt eandẽ voluntatem, speciatim prædestinando electos, exequeretur. Concinant præterea, nulla opera legis factorum, aut humana, sed fidelia dũtaxat, Deum inspexisse: † itaque Esau, quem fidelia non habiturum præsciuit, odio, eum reprobando, habuerit: Iacobum verò operibus fidelibus refertum prædestinando dilexerit. Concinant quoque ambas has propositiones veras esse: alteram nimirum, non volẽtis nec currentis hominis esse, qui absque Deo nec velle nec currere potest. Alteram, neque absque homine Deum eius salutem velle, neque hominem eo inuito currere, eò quòd nõ absque hominis cooperatione vtrũque perfici Deus ipse præ-

† *In catho. c.6.§.4.& 6.*

† *In catho. c.7.§.3.*

† *Vide in cath. c. 6. §. 3.* ordinauit. †Sic enim ambo vasa, alterum aptum in gloriam præparauit, alterum verò aptum ad thesaurizandum iram in diem iræ Deus in multa patientia sustinuit.† Hæc sanè illa fuerunt, quæ ante tempora secularia in proposito Dei manebant, sicut nobis manifestata sunt in tempore.† Gratulentur itaque quotquot illuminati sunt, & gratiam quam non merentur, agnoscant. Gemãt, qui suo libero arbitrio, & iusto Dei iudicio indurati sunt, & Dei iustitiam confiteantur. †Gaudeant omnino iusti, dum effectus prædestinationis singulis momentis manu attrectant, & perseuerantiæ donum vsque in finem continuis orationibus impetrent: ne qui stare videatur, cadat:† & eius coronam alter accipiat.† Coronam inquam præsentis iustitiæ ex merito gratiæ: siquidem id quod meremur, quodammodo nostrum est, & per sequens peccatum amittitur. Tunc enim eo cadente, alter eam ob causam illam accipit, quia Deus nõ permittit aliquem cadere, quin alios erigat, iuxta illud Iobis, Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.† nõ autẽ quod prædestinatus coronam perdere possit, quæ amitti non potest.† Siquidem numerus prædestinatorum adeò certus est, vt neque augeri, neque minui possit.† tametsi numerus prędestinatorum innumerabilis sit. †Gaudeat perpetuò is cui datur quotidie vt se peccasse pœniteat, quoniam ille timorem Domini humili confessione concipit, & per liberum arbitrium subdit se sanandum illi

† *Vt sup. §. 4. 5. & 6.*
† *2. Tim. 1.*
† *De præd. et gra. c. 14*
† *pª. cor. 10*
† *Apo. 3.*
† *Iob. 34.*
† *Glo. ad Rom. 8.*
† *Augu. de cor. & gra. c. 13.*
† *Augu. in Apoca. Hom. 6.*

optimo medico, qui infirmis mederi in hũc mundum venit:† à quo salutem firma spe sperare potest. Gaudeant hi qui charitatis effectus, opere penes se esse vident, quoniam hi viuam fidem habẽtes prædestinatos se esse sperare possunt.† Gaudeãt qui verba Dei libenter audiunt, quoniam hac ratione se Dei esse considerare possunt. † Gaudeant verè humiles, quia hi prædestinatos se esse coniectare poterunt: non autem hi qui fictam humilitatẽ ostendentes, superbia obscœnísque verbis in pios homines debachantes, referti sunt. hi namque diabolum patrem habent.† Gaudeant qui persequutionem propter Iustitiam patiuntur, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.† Gaudeant denique omnes, quotquot Christus beatos esse prædicauit, si vsque in finem perseuerauerint, quoniã ipsorum erit regnum cœlorum.† Gaudentes autem recto corde orent, quoniam etsi initium fidei nõ orantibus detur: perseuerantia vsque in finem non nisi orantibus datur.† Si verò non orauerint, maximum signum reprobationis erit: eò quòd denegatis mediis, finis assequi non potest. Credant quæso se accepturos quod poscunt, neque corde extollantur, credentes à se ipsis, sibi esse, quod à Deo fingunt orare. † Non enim aliter eis dabitur regnum Dei, quod his qui perseuerant vsque in finem certum est esse dandum. † Hæc paucis explicanda esse idcircò duxi, vt quasi epilogo breui lector questionis huius veritatem intelligere possit.

† *De actis cũ Felice. c. 8.*
† *Dixi in pa. par. c. 2.*
† *Ioan. 8. et ibi Tho.*
† *Ioan. 8.*
† *Matt. 5.*
† *Matt. 5.*
† *Augu. de bon. per. c. 16.*
† *De bono. perf. c. 2.*
† *Matt. 10.*

ſiqua verò diffuſe à nobis ſcripta videre voluerit, præſertim hi qui concionari volũt, iam in margine cotationes habent, quę illos dirigere poſſunt. Perpetuò Auguſtini memores, qui nos hortatur, vt neſcientes quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, quis non pertineat: ſic affici charitatis affectu debeamus, vt omnes velimus ſaluos fieri. † itaque per bona opera noſtrã ſalutem certam faciamus. † quandoquidẽ propterea certa ab æterno fuit, quia Deus bonum vſum gratiarũ ſuarũ, in his fore, quos gratis prædeſtinauit, certo præſciuit. ſilentium ori eorum imponendo, qui Pauli authoritate freti, cùm ait, prædeſtinatis omnia cooperari in bonũ, † etiam peccata: Malam vitam ducere non timent, dicentes quando tempus erit, à Domino excitatus operabor. Etenim ſi ita eſſet, cogitare adhuc deberent, plures manſiones in domo patris eſſe, † proindéque oblatam crucem ſuſtinere eos debere, vt gratia comite maiorem ſedem obtineant. nec dicant, Sat mihi erit ſi in cælum intrauero: quãdo verba hæc reprobatorum, potius quàm electorũ ſunt, qui Dei dona contemnunt, eiúſque gratias deſpuunt.

† *Aug. de cor. et grat. c.*

† *2. Pet. 1.*

† *Rom. 8.*

† *Ioan. 14.*

CALVINVS.

CAPVT PRIMVM.

Rationes ob quas operis author cum Caluino, disputare de ipsa prædestinatione nollet.

CALVINVS. CAMERARIVS.

POTERAS Camerari, opuſculum meum de prędeſtinatione legere, vt videres quanta ego contra hũc præuiſum bonum vſum gratię, attulerim: illíſque expenſis, adeò nõ dęlyrare. CAM. Proſit tibi & tuis hęc ſapientia libri tui. CAL. An ſapientia refertus ſit, breui periculum facere licebit. CAM. Parce Caluine, non poſſum hac in re tibi ſatisfacere. CAL. Quapropter? CAM. Siquidem de his quæ diſputatione digna erant, cum alijs diſputauimus, qui ante te ea in medium attulerunt. CAL. Reliqua ſaltem explicemus, quæ ego inueni. CAM. Ignoſce: non poſſum. CAL. Quid cauſę? CAM. Quoniam concionantem te potius quàm diſputantẽ in toto illo libro audire videor: quẽ de induſtria eam ob cauſam lingua Gallica ſcripſiſti, vt indoctam plebem ſcripturæ expertem, gregi tuo adſciſcere poſſes. CAL. Quid tu aduerſus illa excipis? CAM. Hoc reſpon-

deo, vt quaſi à me in aliis dialogis exploſa taceantur, & in veſtrorum idiotarum ſcriniolis conſeruẽtur, poſtquam Latinam linguam callentes formidant. CAL. Nónne nobilis Dominus Claudius Expencęus veſtræ Sorbonę doctor inſignis, libellum Gallica lingua, veluti concionator de ipſa prędeſtinatione ſcripſit? CAM. Aliud eſt, veritate comite, vni Principi id poſcenti, ſummatim lingua Gallica, ad eius ędificationem, ipſam prędeſtinationis quęſtionem enucleare, vti ipſe fecit, cuius inſtitutum approbo: Aliud, velle ſpineta ſcripturarum euadere, & ad caſtra oratorũ transfugere, vt Gallica lingua, tua potius quàm Eccleſiæ documenta idiotis prædices. hoc quidem moleſtè fero. CAL. Per omnia inutilis liber meus erit? CAM. Hoc amici officium tibi me pręſtaturum polliceri poſſum, quod libris meis præſtari opto. CAL. Quod? CAM. Vt abſque liuoris animo, ea amicus lector ėmendet, in quibus tanquam ignorans homo, facilè errare potui. CAL. O ſingularem ſtultitiam, vt tuo modo mecum diſputare velis! CAM. Id ipſum Hieronymus aduerſum Pelagij errores agere coactus fuit. CAL. Errores, ha? Non quidem me accuſare vnquã poteris, quin Auguſtinum mecum ſimul accuſes, quem ita imitor, vt ne vna quidem ſyllaba ab ipſo diſſentiam.† CAM. Quis hoc audiens, riſum cohibere poterit? vt qui Auguſtinum te vbique condẽnantem habes, tuum eum eſſe totiens dicere non erubueris? CAL. Optas itaque vt libellus hic meus,

Caluinus, ne quidem ſyllaba, ab Auguſtino diſcedere profitetur.

†Cal. i ſua præd. gallica fo. 33. 34.

pro ſcopo tibi ſit, in quem tuas ſagittas dirigere poſſis. CAM. Vtinam antequàm typis traditus fuiſſet, librum illum legiſſem, vt amoris ſagittę fuiſſent. CAL. Age, vt lubet, modo mihi interroganti, tu reſpondeas. CAM. Cur tu potius, antequàm roges, ea que in Catholico & Proteſtante dicta ſunt nõ legis, vt legendo ſileas? CAL. Audi quæſo ea quæ rem hanc paucis explicare poterunt. CAM. Auguſtinum tu potius audi, cùm tibi loquens ait, Si nõ vis intelligere, aut te fingis non intelligere, noli oſtrepere volentibus & valẽtibus intelligere.† CAL. Audi paululũ & me, qui omnes audire in hoc præuiſo bono vſu gratiarũ non denegaſti. CAM. Maiora humaniſſimæ conſuetudini tuæ, qua me cùm Gebennæ eſſem complexus es, debeo. Perge.

†*Con. Iul. lib.* 4. *c.* 7.

CAPVT SECVNDVM

Cauſam prædeſtinationis ſolam Dei voluntatem eſſe Caluinus contendit.

CALVINVS, CAMERARIVS.

SOLAM Dei voluntatem, tum electionis, tum reprobationis cauſam eſſe contendo, quę pro mille rationibus nobis eſſe debet.† Non quidẽ quid huic meæ propoſitioni reſpondeas, habes Camerari, quin non ſolum antiquis patribus, verùm etiam his qui hac noſtra ętate ſcripſerunt, ex diametro contradicas. CAM. Martini in re hac opinionem tu ſequeris, à me paulò antè excluſam.† CAL. Mecum certandũ

†*Cal. fol.* 154. *Sapie.* 11. *& ex Aug. in li.* 83. *queſt.* 27.

†*In* 3. *parte c.* 1.

eſt. CAM. Fidem Catholicã ſe ignorare ſatis oſtẽdit, quiſquis in audacia cordis ſui gloriatur.† CAL. Mihi reſpõde ſi placet, qui omni humilitate refertus, ſolam Dei voluntatem omnium cauſam eſſe contendo. CAMER. Num iniuſtam? CAL. Iuſtiſſimam, ſed nobis occultam. CAME. Satis eſt mihi, vt confitearis, ipſam prædeſtinationem quæ tota miſericordia eſt, iuſtitiæ quoque partem continere, quam indagare haudquaquã prohibemur. CALVI. Quicunque cauſam inquirere voluerit, aliud quàm Caluinum quęrat, & cum Paulo litem habeat, qui ſibi reſpondebit: O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?† & alio in loco: O altitudo diuitiarum ſapientię & ſcientię Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius! Quis cognouit ſenſum Domini? qui abſque modo, cum modo, & contra omnes modos, omnia ſibi beneplacita operatur.† Hoc repetitum volo, hoc omnibus Chriſti fidelibus perſuaſum, vt hanc rudem ſapientiã diſcant: nempe nil aliud quærendum, quàm craſſo (quod aiunt) modo credere, Dei voluntate omnia fieri.† CAM. Sententias has ô homo, ô altitudo, parum proteſtantibus prodeſſe, paulò antè oſtendi.† Tu verò Auguſtini aurigæ tui memor eſto, cui placuit verba hæc, terreno, non autem ſpirituali homini dicta eſſe, qui omnia iudicat. Itidem & illa, Nunquid figmentum dicet ei qui ſe finxit, quare ſic me feciſti?† Magno quidem præditus es ingenio, qui tibi loquens & doctis, veritate ſacræ ſcripturæ

† Hypo. li. 1. in prologo in princ.

† Rom. 9.

† Folio. 160 ex Auguſtino Ench. c. 91. 98.

Craſſo modo.

† Caluin. ĩ eodẽ libro.

† Suprà in part. 3. c. 1.

† Augu. in li. 83. q. 68.

ll. j.

testimoniis comperta, rudibus exemplis, eam idiotis patefacere poteras: non autem hac crassa doctrina à te inuenta, indoctam plebem gregi tuo, in eius perniciem adsciscere. CAL. Non absque causa, Paulus cùm de prædestinatione ageret, Dei voluntatem, & fidem in Iesum Christum, coniunxit: nisi vt his duobus modis saluos nos fore doceret.† CAM. Quantum à veritate hæc tua sententia distet multis sacræ scripturæ atq; Augustini doctrinis, qui fidelia opera Deũ pręsciuisse perpetuò asseuerauit, dudum fusissimè ostẽdi. †De ipsa planè prędestinatione nũc agimus, quę minimè cõcionibus, sed optimis poti⁹ firmísq; argumẽtis, antè q̃ prędicetur, explicãda est. Te igitur rogatũ velim vt graues sentẽtias aut ꝓponas, aut auscultes. CAL. Hominẽ tibi ęqualẽ alloqui putas, qui tibi interrogãti, cur ita facis, respondeat, hæc causa est voluntatis meæ: aut tyranni vocem audiuisse censes, cùm Deus eos prædestinasse inquit, quos prædestinare ab æterno voluit. Nónne scriptum est, in Deo nullam iniquitatem esse?† CAM. Eam ob causam, quia talem esse Deum confiteor, vt eius iustitiam, qua in ipsa prædestinatione vsus est, intelligam, cum Iobe, iusto bonóque Deo dicam: Noli me condemnare. indica mihi, cur me ita iudices?† CAL. Ipse quoque alio in loco inquit, non posse nos Deo dicere, Cur ita facis? † CAM. Aliud est velle cum Deo disputare, quod scriptura vetat:† aliud verò, summa cum humilitate, ea quæ nobis incognita sunt, à Deo pe-

† Caluinus vt suprà.

† Cath. c. 7. §. 3. & 9.

† Psal. 90.

Disputare cũ Deo nemo debet: occulta verò vt reuelentur, à Deo petere valemus.

† Iob. 10.

† Iob. 11.

† Rom. 9.

xere vt illa nobis declaret. Sic enim Moyſes, quando Deus dixit, Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam: minimè his verbis acquieuit, ſed optimi ſerui inſtar Deum diligentis reſpõdit: Cur domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum? †Itidem & Abrahamum benignè Dominus audiuit, antequàm ignis ſupra Sodomam deplueret. † & alia iſtiuſmodi generis multa. CAL. Auguſtinus docet, cùm interrogati fuerimus, quare Deus hoc vel illud fecerit, vt reſpondeamus, quia illi placuit. † CAM. Non quidem aliud reſpondere poterimus, quando ignoramus quare Deus ſic voluerit. Atqui non propterea etiam in ipſa prædeſtinatione, cauſam eius inquirentes, ea quæ reuelata ſunt tacebimus: ne dicamus Paulum malè egiſſe, cùm electionis reprobationíſque noſtræ cauſam declarauit. CAL. Poſſe nos reuelata Paulo, à Paulo audire nõ inficior: ſed cui reuelatum eſt id, quod Paulo occultum fuit? nẽpe cauſam hanc ſpeciatim ſcire, cur iſte electus ſit non ille: quam tu nunc inquiris? CAM. Pauli authoritate, bonum vſum præuiſum, ſpecialẽ cauſam congruam fuiſſe, qua Dei volitum rationabile ſit, dudum oſtendi † Sed quid ſi eam Paulus ignoraſſet (quod tamen omnino negamus) nónne Paulus de ſe ipſo teſtatur, à multis accepiſſe, quibus Dominus reuelauerat, ea quæ in Ieruſalem ipſemet paſſurus fuiſſet. & tamen hæc omnia ei ignota erãt? † Num ea quæ Paulus tacuit, reliquis ſcripturæ

† *Exo.32.*

† *Gen.18.*

† *Fol.155. ex Augu. ſup. Gen. con. Manichæos lib.1.c.3.*

† *Suprà in Catholico c.3. c.4. §.1. c.8. §.1.*

† *Act. c.21*

testimoniis probare non licet? Non quidem ferre possum Caluine, id quod perpetuò in ore ipsę quoque mulieres habent, dicentes, Paulus semel raptus vsque ad tertiũ cœlum, ea vidit quæ non licet homini loqui.† quasi Paulus illis verbis, causam prędestinationis inquirendam esse vetauerit. Dominum autem, cùm inquit, nihil occultum, quod non manifestetur,† haudquaquam audiant. Cur Augustinum nõ legunt, dum verba illa sic explanat, nempe vt partim in hac vita, partim in alia reuelentur,† ea intelligendo quæ in hac vita nobis reuelata sunt? CAL. Si aliis reuelatum fuisset, Augustinus nostræ fidei lumen vtique hoc sciuisset: sed occultã hanc specificam causam sibi esse vbique protestatur†. CAM. Causam electionis condignam, quæ Dei voluntatem præcedat, sese ignorare Augustinus ait: congruam autem præuisi boni vsus gratiarum quæ voluntatem Dei sequatur, nequaquam:† nec tecum asserit, malos absque causa, quæ voluntatẽ Dei sequatur, reprobationem verò pręcedat, reprobatos esse. † Ea legas quęso quæ cum Caietano tractaui, & perspicuè hæc omnia videbis.† Sed quid si Augustino aliter placuisset, an tunc spreto Ambrosio & aliis,† soli Augustino reliqui ecclesiæ patres subscriberent? CAL. Quænam hæc causa est? CAM. Catholicum lege, itidem & integrũ Protestantem in quibus hoc egi: prætcrea nihil.†

† *2.Cor.12.*
† *Luc. 8.*
† *De gra. et lib. arb. c. 23*
† *Fol. 34. 35. 36. ex Augu. de præd. sanc. Epi. 59. 105 106. Corr. et gra. c. 8.*
† *Suprà in Catho. c. 4. §. po.*
† *Suprà in Protestãte parte. 4. c. 1.*
† *In Catho. c. 9.*
† *Vide reliquos doctores sup. in Catho. c. 7.*
† *Præsertĩ in Catho. c. 4. §. 1. & 8. §. 1.*

CAPVT TERTIVM.

Conatur Caluinus, Dei præſcientiam pro Dei conſilio vſurpare, vt præuiſum bonum vſum gratiarum cauſam prædeſtinationis congruã fuiſſe, ei liceat negare.

CALVINVS, CAMERARIVS.

MAXIMVS quidem error hic eſt, vt cum Paulus dicit, Quos præſciuit, & prædeſtinauit: hanc præſcientiã pro notitia omnium futurorum vos vſurpetis, Auguſtino contradicentes, qui nomen hoc præſcientiæ, pro Dei conſilio capit.† CAM. Paulum authorem habet, qui Deum omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ operari teſtatur. † CAL. Eorum igitur conſilium fuit, quæ intrinſecus erant, non autem quæ extrinſecus. CAMER. Quis tibi hoc reuelauit, ô mi Caluine? Num cõſiliando alia à ſe, ſicut Scoto oſtendi, intueri poteſt?† At vt os tibi obſtruam, rogabo an conſilium origine voluntatem pręceſſerit? CAL. Omnino. CAMER. Integrum, an diminutum, vt quædam Deus ignoret? CAL. Abſit. CAM. Præſcientia igitur omnium futurorum, conſilium origine eam ob rem præceſſit, quia ſi omnium futurorum non eſſet, vtique integrũ conſiliũ non diceretur. Hoc ſanè ſæpe Auguſtinus dixit,† à quo ne ſyllaba quidem tu, vt ais, diſcedere vis. CAL. Volo ego multis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis commonſtrare, abſque vlla noſtrorũ

Præſciẽtiã Dei, conſiliũ Dei Caluinus eſſe contendit.

†Fo.50. ex Aug. de bo. perſ. c.18.
†Ephe.1.
† In Catholico c.5.
† Vide in Catholico c.9.

operũ præuiſione Deum nos prædeſtinaſſe. CAM. Perge. CAL. Petrus ſuam epiſtolam electis ſecundum præſcientiam Dei patris dirigens, Chriſti duntaxat meritorum memor fuit, qui ante mundi creationem, in redemptionem peccatorum noſtrorum prædeſtinatus erat. Per quæ ſatis oſtendit, nulla merita noſtra conſpecta fuiſſe, ſed ſecundũ Dei conſilium omnia proceſſiſſe.† CAM. Quanquam argumentum hoc, nil ad excludendum præuiſum bonum vſum eam ob cauſam concludat, quia ſi vnum Petrus proponeret, non propterea aliud excluderet, quod in aliis ſcripturę teſtimoniis continetur: quæram ego à te, an Deus Adamum peccaturum pręſciuerit, quando ſua prouidentia ſtatuit vt Verbum carnem aſſumeret? CAL. Mea ſententia pręſciuit. CAM. Ergo præſcientia hęc, futuri Chriſti prædeſtinationem, origine pręceſſit. CAL. Stent omnia in perſona Chriſti. CAM. Sat eſt quocunque modo oſtendere, ipſam pręſcientiam & conſilium, pręde ſtinationem origine pręcedere. CAL. Si iſta non placeant, alia Petri verba afferã, cùm ait: Viri Iſraëlitæ, audite verba hęc: Ieſum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus & prodigiis & ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio veſtri, ſicut & vos ſcitis, hunc definito conſilio & pręſcientia Dei traditum per manus iniquorũ affligentes interemiſtis.† CAM. Petri verba eſſe fateor, quæ opinionem tuam condemnant: ſiquidem & pręſcientię Petrus meminit. CAL.

Caluini argumenta, quibus præuiſum bonum vſum negat.

† Cal. fo. 51. & 52. ex Petro 1. c. 1.

† Acto. 2. Cal. fo. 51.

Eam ob causam prescientia & consilium à Petro ibi coniuncta sunt, ne casu id factum esse auditores putarent, sed potius Dei voluntate, qui secundum suum consilium omnia disponit. † CAM. Causam voluntatis Dei nos inquirere posse negas, dum te & Dei & Petri consiliarium facis. Fateor quidem apud ipsum, sapientiam, fortitudinem, consilium & intelligentiam esse. † Atqui expende amice, quomodo illa Petri verba, definito consilio & prescientia, tuam doctrinam confundant: quando tu præscientiam & Dei consilium pro vno capis: Petrus verò duo esse dicit: & cùm simul concurrant, iustũ volitum Dei prædestinantis, ex his que presciuit esse, negare haudquaquam potes. CAL. Huic postremo responde argumento. Perinde enim est si dicas, preuisum bonum vsum gratiarum causam predestinationis congruam fuisse, ac si diceres preuisa opera in ipso predestinationis actu conspecta fuisse. cui sententie Paulus resistit, inquiens: Nunquid Deus repulit populum suum? Absit, quandoquidem reliquie secundum electionem gratie salue facte sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus. Quid ergo? Quod querebat Israël (ex operibus iustificari) non est consecutus, electio autem consecuta est sine operibus. † CAM. Quis est qui meritum operum Dei voluntatẽ precedere dicat? Certè nemo, sed fidelia opera, que Deus, antequàm predestinaret tanquam ab eo facienda origine presciuit, secundam causam, que primam causam volũ-

† Vt sup.

† Iob. 12. Gen. 45. Psa. 19. & 65.

† Rom. 11.

tatis Dei ſequitur, fuiſſe, vt iuſtum eius volitũ redderetur, cur Petrum non autem Iudam prædeſtinauerit, non affirmamus ſolum, ſed probamus.† †*Sup. in Cathol. & Proteſt.*

CAPVT QVARTVM.

Tantat Caluinus an ſuam concluſionem ſuſtinere poßit omnia neceßariò euenire.

CALVINVS, CAMERARIVS.

QVIS recti ſenſus homo, omnia neceſſariò euenire negabit vnquam? Eſaia teſtãte, Deum homines obcæcaſſe, itaque obcęcaſſe, vt vſque in hodiernum diem omnia velata ipſis Iſraëlitis permaneant: quibus Ioannes addit, neque credere eos potuiſſe.† CAM. Quia aliorum Proteſtãtium hęc argumenta erant, omnes illorum vanitates, hominis obcęcati, atque indurati: paulò antè excluſi,† bellè docens, neque obcęcationẽ, neque obdurationẽ, in animę perniciẽ Deũ aliquando incepiſſe. illa lege, ne grauer multis verbis tuis denuo reſpõdere.† Ioannis verò teſtimonio à te citato, Auguſtini authoritate, à quo nec ſyllaba diſcedere tu vis, alibi reſpõdi, qui ſic ait: Quare autem credere non poterant, ſi à me quæratur, cito reſpondebo, quia nolebant. Malam quidem eorũ voluntatem præuidit Deus, & per prophetam prænunciauit ille, cui abſcõdi futura non poſſunt.† CAL. Quare vni detur, alteri non, ſe ignorare Auguſtinus palàm profitetur†. CAM. Longè antè docuerat, iuſtè ſpirituales gratias illis hominibus de-

†*Eſai. 6. Rom. 2. Ioã. 12.*
†*In Proteſtante parte 4. c. 3.*
†*In fo. 95. 96. 97. 98. 99. cõtẽtis.*
†*Ioan. 12.*
†*De bono. perſ. c. 14.*

†*Ad Simp. lib.1.q.2.* negari, qui lumine oblato Deum non exquirũt.† CAL. Quomodo igitur inuentus Deus eſt à non
†*Eſa.c.65. & 66.Ro. 10. in fi.* quærentibus eum?† CAM. Deus eſt qui prius quęrit, & dat vt ab his qui nõ quærebant, deinde cùm quærunt, inueniatur. CAL. Quem in modũ? CAM. Superna namque ſapientia humanam mouet, vt mota atque à Deo adiuta, altera ſcriptura ſuccedat,
†*Sap.6.* quæ dixit: Inuenitur ab his qui quærunt eam. † ita vt Dominus vocare incipiat, dicens: Quærite Do-
† *Eſa.55.* minum dum inueniri poteſt.† Quærite, & inue-
† *Matt. 7. Luc.11.* nietis.† quaſi hoc hominis officium ſit, vt intrinſecus vocatus, ipſe cum Dei adiutorio dominũ quærat. Neque aliam ob cauſam cum propheta aliquid petit, hanc Domino perpetuò cauſam proponit,
† *Pſal.118. ſæpe.* quia exquiſiui te.† Itidem & poſt obtentas gratias,
† *Vt ſup.* quando dixit, Quia iuſtificationes tuas exquiſiui.† ſciens quòd vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas requirẽtibus teſtamentũ eius & teſtimonia
† *Pſal.24.* eius.† CAL. Nónne Chriſtum aſtantes quærebant, quos in parabolis docebat: Apoſtolis verò omnia
†*Lucæ 8.* arcana aperiebat?† CAM. Quid mirum, Apoſtolis vocatis iam, atque Dominum ſequentibus, fraternáque charitate Dominum rogantibus vt myſteria parabolæ illis aperiret, myſteria ipſa reuelata eſſe:
† *Matt.13. Mar.4.* cæteris verò tacentibus nequaquam?† CAL. Nónne quærebant? CAM. Minimè: ſiquidem quærere eum vobiſcum ſimulabant, quemadmodum Ieſu
† *Augu. in eodẽ loco.* verba apoſtolis dicta declarant.† CAL. Cur ad ea non animaduertis, quæ folio 103 & 104 ſcripſi?

CAM. Quoniã vana ſunt. CAL. Quapropter? CAM. Principio Catholici,† duo tempora conſideraui, quibus Dei bonitas omnes ſaluos eſſe ſua generali prouidentia voluit, ſi homines ſalui eſſe vellent. Nec deinde eam ob cauſam ſic factum eſſe, quia Ieſus omnibus obtemperãtibus, non autem dyſcolis factus eſt cauſa ſalutis. † ita vt lux vera omnem hominem venientem in hunc mundum, quantum in ſe fuit, illuminauerit: non autem nolentes ſaluauerit: quandoquidem quotquot ipſum receperunt, iis, non aliis, poteſtatem dedit filios Dei fieri, qui credunt in nomine eius.† Quæ cum ita ſe habeant, tu nunc animaduertere poteris concionem illam tuam, magna cum farragine doctrinarum Auguſtini malè applicatarum, ſatis impropriam fuiſſe.†

Duplex Dei prouidentia.

† *Cap.* 1. † *Heb.* 5. † *Ioan.* 1. † *Pag.* 103. 104.

CAPITIS QVARTI. §. I.

Cur Deus Adamum peccabilem creauit, cur item omnes per Christum abſque vllo hominum facto non ſaluauit.

CAMERARIVS. CALVINVS.

QVAERERE multi ſolent, cur Deus qui poterat ante caſum Adami omnes impeccabiles creare, hoc nõ fecerit: vel ſaltẽ cùm poſſet omnes abſque eorũ conſenſu redimere, neque hoc fecit? CAL. Quid tu reſpõdes? CAM. Auguſtinus minimè ipſum Deum alio modo illos vocare conſtituiſſe reſpondet:† vt ſummã ſuam miſericordiam in Verbi incarnatione

Cur Deus ſalutem hominis, ſi ipſe vellet, perpetuò voluit.

† *Ad Simpli. lib.* 1. *q.* 2. *De gen. ad lit. c.* 7. & 8.

ostenderet: quo deinde dicamus: Multi secundum eius misericordem prouidentiam sunt vocati: pauci verò ob eorum duritiam electi. †CAL. Quid simpliciter vocasse iuuat, si vsque ad profundum cordis, vocatio secundum propositum non peruenit?† CAM. Potentem esse Deum sua absoluta potentia, omnes volentes facere, atque saluare, nemo est qui nesciat. † Verùm quia iustus est, in hominis potestate reliquit, vt gratias refutet suas: itidem vt ab acceptis decidere possit: ne aliter agendo, magnæ laudis ipse homo nequaquam esset. siquidem tunc sola Dei virtute, nihil cooperando, in iustitia viueret.† Decebat præterea, vt qui inobedientia impius factus fuit, obedientia iustificaretur. qua in re Augustinum audiamus dicẽtem: Mirum est enim, quantum ista humilitas, qua subdimur creatori, ne tanquam eius adiutorio non egentes, de nostris viribus præsumamus, per scripturas omnes diuinas, cura continua omnibus commendatur. Cur enim non crearet, quos sciebat bonis profuturos? vt & vtiles eorum bonis voluntatibus exercendis admonendísque nascantur: & iustè pro sua mala voluntate puniantur.†Ille nanque bonus Deus est, qui etsi alterum maiori lumine altero vocat, æqualis prouisor est, æqualiter ambos vocãdo. siquidem omnes congruenter sic vocantur, vt vnusquisque quatenus eget illuminatus, si vult venire, Deo trahente venire posit.† Melius esse iudicans miscere quosdã nõ perseueraturos certo numero sanctorum

†Matt. 20.

†Caluinus ex Aug. ad Simpl. lib. 1 q. 2. & de gra. & lib. arb. c. 21.

†Augu. ad Simpl. lib. 1. q. 2.

† Aug. de Gen. ad lit. lib. 11. c. 4. 6. 7. & 8.

† De Gen. ad lit. li. 11. c. 6.

† Suprà in catho. c. 6. §. 3.

ſuorum, vt quibus non expedit in hac vita ſecuritas, non poſsint eſſe ſecuri. multos enim à pernicioſa elatione reprimit, quod ait Apoſtolus, quapropter qui videtur ſtare videat ne cadat. Voluntate autem ſua cadit qui cadit, & voluntate Dei ſtat qui ſtat.† CAL. Multa mihi dicenda hac de re occurrunt, quibus propoſitio illa, Deus vult omnes ſaluos fieri, rectè intelligi poſsit. CAM. Satius tacere erit, ne potius in multos errores incidas. CAL. Quam ob cauſam? CAM. Per noctem librum tuum prædeſtinationis à pag. 125. vſque 138. ſedulò legi: nil tamen inueni quod nouo reſpōſo dignum ſit, præter ea quæ cum Catholicis diſſerui.† CAL. Sed minimè ea legiſti quæ à pag. 60. vſque ad pag. 95. pro explicandis propoſitionibus quæ in cap. 9. ad Romanos continentur, ſcripſi. CAM. Ne verbum quidem oculos præteriit meos. CAL. Cur illa non refers? CAM. Commentaria tua in caput illud, lectores habent: & quid præterea lingua Gallica dixeris, intuentur. Itidem ea quæ ego cum Ioanne Driedone diſſerui,† omnia, legant, & inter me & te deinde iudicent.

† *De bono. perſ. c. 8.*

† *Cap. 7. §. 1*

† *In Catho. c. 7. §. 1.*

CAPVT QVINTVM.

Eam ob cauſam Caluinus adhuc mordicus contendit, nullum præuiſum bonum vſum gratiarum cauſam prædeſtinationis fuiſſe, quia nil in homine eſt quod Deus præſciret.

CALVINVS. CAMERARIVS.

FATERIS tu promissionem illam factã Abrahæ, vt pater multarum gentium esset, & hoc ex fide, quemadmodum Paulus testatur, †de prędestinatione Dei esse? CAM. Perge. CAL. Quid promisit? num opera quæ absque fide ipsi facerent? CAM. Mimime. CAL. Num fidem quæ ab ipsis oriretur, non autem donum dei esset? CAM. Nequaquam. CAL. Quid igitur in homine pręsciuit, quod ad prædestinandum ipsum mouerit? CAM. Vsum bonum gratiarũ pręuidit, qui in ipso hominis consensu, & cooperatione cum gratia, consistit. CAL. Non posset igitur Deus quæ promisit facere, si ab hominis potestate adimplementum rei ab eo promissę penderet: & scriptura falsa esset, quæ dicit credidisse Abraham Deo, dans gloriam Deo, quoniam quæ promisit, potens est & facere.† non autem dixit quia aliena facta prædestinando præsciuit. CAM. Hoc argumentum, Augustini authoritate paulò antè solutũ fuit.† Augustinum audi, quęso, Caluine, postquam te Augustinianum facis, cùm inquit: Non autem promittit fidem gentium, quam sibi homines faciunt: sed vt promitteret quod ipse facit, illa pręsciuit homines esse facturos:† vt hanc tuam contẽplationem Abrahami in fumum resolutã esse cernas. CAL. Sic Augustinus alibi loquitur: Solet enim dici: Ideo credere meruit, quia vir bonus erat antequàm crederet quod de Cornelio dici potest. sed quicqnid antequàm in Christum crederet, & cùm

†De præd. sanct. c.10.

†Rom. 4.

†In Cath. c.6. §.3.

†De præd. sanct. c.10.

crederet,& cùm credidisset,bene operatus est Cornelius, totum Deo tribuendum est: ne fortè quis extolatur. † CAM. Fateor: modò tu quoque è regione dicas,Cornelij consensum & cooperationem ibi affuisse, quam Deus præsciuit, sicut paulò antè dictum fuit. CAL. Volo adhuc Augustinum contra vos audacter defendere, dum minimè sententiam eius intelligentes, satis vanè de ipsa Dei præscientia sentitis. Putatis nanque omnium hominũ „ facta Deum præscire: quod minime Augustinus „ negat: modò affirmetis haudquaquam ab illis Dei „ voluntatem pendêre,qui omnia secundum propo„ situm suæ voluntatis facit. Sic enim prædestinando, propria facta duntaxat, non aliena præscit.† CAM. Et sua & nostra facta simul tanquam causam secundam præscit. CAL. Quem authorem sequeris? CAM. Ea lege,quę de re hac cum Scoto dispu tans dixi.† illa itẽ quę cum alio protestãte disserui.† etenim si pręsciẽtia pręd estinationis causa nõ esset, ipsę quoque prouidẽtię necessarię essent: & omnes in gloriã ordinati,illam obtinuissent: omnes quoque redempti re ipsa fuissent.

† De præd. sanct. c. 7.

Cauillatio Caluini.

† De præd. sanct. c. 17.

† Sup. in Cath. c. 5.

† Suprá in prot. parte. 5. c. 1.

CAPVT SEXTVM.

Quotquot autem prædestinati erant crediderunt.

CALVINVS, CAMERARIVS.

Quotquot prædestinati erãt, crediderunt.

SI quotquot prædestinati erant, ad vitã ęternam crediderũt, nónne apertè videmus necessaria omnia esse ꝓpter pręd estinationẽ? CAM. Fides, Dei donũ est,† illis ad vitã æternã in tempore datũ,qui ab æterno præ-

† Aug. de præd. sanct c. 10.

destinati sunt: vt fides effectus prædestinationis sit, quēadmodū Paulus testatur, cùm ait, Quos prædestinauit, vocauit, iustificauit.† CAL. Dem hoc. CAM.

†*Rom.*8. Prędestinatio certa est? CAL. Vtique. CAM. Si certa, Deū præsciuisse illos qui credituri erant, antequàm prędestinarētur, fateri compelleris: itaque illos credidisse, qui prædestinati erant. CALVI. Nónne illi qui pręsentes erant non pręordinati, secundum naturam credere adhuc poterant, atque Dei verbum audire? CAM. Siue audiant, siue non, hi quibus da-

†*De bono. pers. c.*14. tū non est, nihil eis prodest: Augustinus respondet.† CAL. Nulli ergo fidei donum datur, qui non est prędestinatus? CAM. Non idcirco litera sic loquitur, vt proinde illis duntaxat donum fidei detur, qui prędestinati sunt: quandoquidem multi credunt, qui deinde ob eorum peccata, non sunt credituri: quorum Ioannes meminit, quando dixit: Propterea discesserunt, quia ex nobis non erant, tam-

†1.*Ioā.c.*2. etsi credere aliquo temporis spatio cœpissent.† Et

†1.*Tim.*4. alio in loco: Noli negligere gratiam quę in te est.†

†1.*Cor.*10. Rursum, qui existimat se stare, videat ne cadat.† Alioqui quomodo peccatum infidelitatis quod vos nobis obesse contenditis, dari posset? CAL. Si alij ad tempus credere possunt, cur dicit, Quotquot prędestinati erāt, crediderunt? CAM. Quia aliud est credere etiā non credituros, quod est ad vitā æternā in fine nō credere: aliud verò credere, & credituros, quod est ad vitā ęternā vsque in finem credere: quos postremos verba illa ostendunt: quasi illi verè credāt, qui secundū prędestinationē credunt. CAL.

Quid causæ? CAM. Quoniam qui prędestinati sunt, secundũ propositũ vocantur, certa cum pręscientia eos credituros fore. verba contextus ponderanda sunt Caluine, quę minimè dicunt, quotquot prędestinati erant, crediderunt. siquidem & non prędestinati crediderunt: sed sic dixit: Quotquot prędestinati erant, ad vitam ęternã crediderunt. quod prędestinatorum duntaxat est. † CAL. Quid si hoc modo legatur, Quotquot prędestinati erant ad vitam æternã, crediderunt? CAM. Idem sensus esset, quãdoquidem si prædestinati ad vitam ęternam erãt, ad vitam ęternã crediderunt. Cęteri verò aut non crediderunt, aut ea ad tempus crediderunt, cui vita ęterna non datur. Quibus fit, vt hę sententię verę sint omnes: Quotquot prędestinati erant, ad vitam ęternam crediderunt. Non quia naturæ vi crediderunt, ad vitam ęternam crediderũt. Quæ cùm ita se habeant, iam vides quomodo quotquot obaudituros præsciuit, hos & prædestinauit.

† *Aug. de bon. perse. c. 8.*

CAPVT SEPTIMVM.

Sidonij & Tyrij, si Euangelij prædicationem audiuissent, conuersi fuissent, Caluinus inquit, & tamen præscientia huius obauditionis nil illis profuit vt prædestinarentur.

CALVINVS, CAMERARIVS.

Tyrij & Sidonij.

Si Deus Tyriis & Sidoniis, qui audito euangelio non modò credidissent, sed eos peccasse pœnituisset, euãgelium non prædicauit: Bethsaide verò & multis non credẽtibus illud prædicauit: nónne ex hoc apertum

consequens prouenit, præscientiam nimirum huius futuri boni vsus gratiarum, quæ nihil in prædestinatione profuit, chimæram à te inuentam esse? CAM. Minimè Iesus dixit, Tyrios saluos prædicato euangelio fore, sed duo simul dixit: alterum, pœnitẽtiam esse facturos, tacens an in ea permansuri fuissent. alterum verò, mitius ipsis fore. per quod, non permansuros declarat. nam si permansissent, salui fuissent. CAL. Si mitius illis fuisset, cur illis hanc ob causam euangelium prædicatum non fuit? CAM. Multi malè contextum ponderantes, propter pœnitentiæ præscientiam, mitius Tyrios & Sidonios puniendos esse censent, in quo valde errant: quandoquidem eam ob causam remissius eos pœnas daturos dixit, quia euangelium eis prædicatum non fuit.† CAL. Quo authore loqueris? CAM. Hæc Saluiani concilij sententia est. CAL. Valeat concilium. CAM. Sic quoque Augustino tuo aurigæ placuit, nẽpe quibusdam in præmium, quibusdam verò ad iudicium euangelium prædicari: quod Tyriis & Sidoniis euenisset, si euangelium eis prædicatum fuisset. † Hos enim si negaueris, minimè Lucam negare poteris, qui eodem in loco de Sidoniis loquens, nulla pœnitentiæ mentione facta, remissius illis quoque fore propterea, quia euangelium non audiuerunt, testatur.† CAL. Cum sciret Iesus Tyrios & Sidonios pœnitentiam ad tempus acturos: scire à te velim, cur hîc præuisus bonus vsus non effecerit, vt illis euangelium

† *Matthæi* c. 11.

† *De præd. san.* c. 9.

† *Luc.* c. 10.

prędicaretur? CAM. Fortaſſe quia de illis erant, qui à fide deinde excidiſſent, & grauius non autem remiſſius, illis in die iudicij fuiſſet. CAL. Et hoc vnde? CAM. Catholicum quendam ſua ætate virum doctum ſic loquẽtem Auguſtinus approbat,† à quo nec ſyllaba te diſcedere profiteris. CAL. Cur ſaltem euangelium prædicatum non eſt Tyriis: & interea temporis dum credebant vt ſalui eſſent, morte præuenti fuere? CAM. Auguſtinus tibi reſpondet, tunc euãgelium prædicatũ fuiſſe, quando & vbi ſciebat illos adeſſe qui electi fuerãt ab ipſo ante mundi conſtitutionẽ,† vt quos prędeſtinauit vocaret. CAL. Nónne & non prædeſtinatis prædicatur? CAME. Parum refert euangelium non prędeſtinatis prędicari, qui vſque in finem credituri non erant: quemadmodum contrà parum fuit, carneis auribus patrum veteris teſtamenti non eſſe prædicatum, qui animæ auribus Euangelium in ſcripturis concluſum audiuerunt, intelligentes agnum ab origine mundi ad noſtram ſalutem occiſum fuiſſe.† CALVI. Cur in ſtatu iuſtitiæ eos non occidit, quæro. CAME. Duæ queſtiones diuerſę iſtę ſunt. altera, quare Deus quoſdam prematurè in ſtatu iuſtitię morti tradidit: qua de re cum hæreticis longiſſimo ſermone Auguſtinus diſputauit.† Altera, cur iuſtos omnes, qui iniuſti efficiendi erant, iuſtitiæ tempore non occiderit? de qua vltima quæſtione Auguſtinus interrogatus, nil aliud reſpõdet, ſed verba Apoſtoli affert: †

† *De bon. perſeu. c. 10*

† *De præd. ſan. c. 19.*

† *Apo. 13.*

Cur homines perituros in ſtatu præſentis iuſtitiæ non occidit.

† *De præd. ſanc. c. 14. & ſeq.*

† *Vt ſuprà.*

Quis cognouit ſenſum domini? Vtcunque tamen fuerit, ſententiam hanc notatu dignam tibi hodie communicabo, nempe vt quandocunque affirmatiuè quæritur, quare Deus hoc fecit: non ex noſtra officina, ſed ex ſacra ſcriptura id quod reſpódeamus ſedulò inquiramus. Siquidẽ ſcriptum eſt, Deum non feciſſe verbum quod non reuelauerit amicis ſuis.† Cùm autem negatiuè quæritur, quare hoc vel illud Deus non fecit? nil aliud reſpondeas quàm id quod Auguſtinus reſpõdet: Quis cognouit ſenſum Domini? quandoquidẽ minimè in ſcriptura legimus, omnia Deum amicis reuelaſſe quæ facere potuit, non tamen fecit, ſed ea quæ fecit.†

Quid nobis de his quæ Dei cõſilio facta ſunt, indagare licet.

† Gen. 18. Amos. 3.

† Vt ſuprá.

CAPITIS SEPTIMI. §. I.

Hoc loco duos gemellos, Caluinus proponit, qui ſimul moriantur, in quibus nullus præuiſus bonus vſus adeſt: quærens cur vnus prædeſtinetur, alter verò reprobetur.

CALVINVS, CAMERARIVS.

PONE duos gemellos, qui in meritis nullam cauſam, in demeritis verò æqualem culpam originalem habent: quorũ vnus baptizatur, alter non: itaque vnus aſſumatur, alter verò damnetur: vbi tunc præuiſus bonus vel malus vſus? Auguſtino hoc quærenti reſponde.† CAM. Non quidem æqualis conditionis ſunt, ſi alter circuncisus tempore Abrahæ erat, aut baptizatus poſt Chriſti aduẽtum fuerit, alter non.

†Augu. de bon. perſ. c. 11.

CAL. Quam præſcientiam boni vel mali vſus tu coniectare poſſis, quæro. CAM. Ambroſius Auguſtino, principio libri iſtius reſpondit, Deum bonum vſum gratiarum, per ſe vel alios, qui ad eius commodũ gratiis vti poſſunt, intueri. †Et quia in electo, bonũ vſum geſtantis, atque eccleſiæ, dum pro ipſo crediderunt, cæteráque implerunt apta ad implendum ſacramentum fidei, quod baptiſma eſt, præuidit: idcircò & prædeſtinauit. in altero autẽ hunc bonum vſum non vidit, quem propter peccatum originale reprobauit. CAL. Ab alio ergo pendet ſalus atque reprobatio noſtra? CAM. Primũ de ſalute, ſic fieri poſſe fateor: ſecundum de reprobatione, nego. CAL. Quapropter? CAM. Siquidem cùm ſaluantur, eccleſiæ & geſtantis fides, infirma paruulorum ſupplere poſſunt. negligentia verò non geſtantis, cauſa perditionis non eſt, ſed peccatum mundi. CAL. Ab illa ergo opinione Catholicorum diſcedis, qui tenent paruulos merè paſſiuè in iuſtificatione ſe habere, atque in cæteris effectibus prædeſtinationis? CAM. Immò potius illam approbo, modò rectè intelligatur, paruulos ſcilicet quo ad propriũ indiuiduum merè paſſiuè manere: ſed habito reſpectu ad eccleſiam & geſtantem, nequaquam. tunc enim ambo paruuli merè paſſiuè ſeſe haberent, quando ſoli ambo ſic manẽtes, vnus condẽnaretur, alter verò ſaluaretur. quod minimè ſit. ſiquidem vbi ſaluantur, adiutor eis datur pro ſalute acquirenda. CAL. Cur Deus vtrique

† In Cath. c.4.§.1.

adiutorium hoc quod vos imaginamini,nõ dedit? CAM.Deum interroga,vt tibi hoc quærenti,suę voluntatis causam enarret.

CAPVT OCTAVVM.

Georgium Siculum Caluinus rectè propter quædam irridet. Deinde verò minus recte Francisci Spieræ partes substinet. Author autem operis, omnes corripit.

CALVINVS, CAMERARIVS.

HOc vnum à te impetratum velim, vt inter me & Pighium iustus iudex sis. CAM. *Pighius* Quæ me cogit necessitas,vt contra alios promam sententiam? Eam enim ob causam, quia nil noui Pighius pręter ea quæ cum Catholicis disseruimus attulerat, etsi doctus vir sit, silentio illum prætereundum duxi. CAL. Georgij Siculi saltem delyria audi. CAM. Si huius Georgij errores nostris põderibus examinabimus, quatuor erimus,sincero subtilíque legentium iudicio simul iudicandi: Georgius nimirum Siculus, Franciscus Spiera, Tu, & Ego. CAL. Ab ipso Georgio initium sumamus. CAM. Cùm virum hunc,neque patres,neque scholas,ne quidem à limine salutasse: Paulum item quem explanandum suscepit,† mini- *†In caput 9.10.& 11.* me intellexisse:scripta eius ostendãt:corripere eum magis potero,cur naturali minúsque recta ratione loquens,cùm nesciret Francisco Spierę respondere, ad hoc asylum confugit, vt specialem prædestina-

tionem dari omnino negaret: quandam verò generalem proponeret, ab ęterno factam: ipsam verò reprobationem in tempore: in quibus Paulo, patribus Catholicis, scholis, Manichęis, Pelaginanis, ac vobis, re tota sic aduersatus est, vt an magnopere errauerit, vel potius insaniuerit, facilè cognosci nõ possit. Quis viri huius doctrinam suscipiat, cùm ait omnes homines prędestinatos esse? Num Paulus sic loquitur, Deus qui omnes prędestinauit, omnes cum proposito vocauit, iustificauit, glorificauit? Minime: sed hunc in modũ locutus est, Quos prędestinauit, hos vocauit, quos vocauit, hos iustificauit.† Hęc enim cùm omnibus communia non sint, satis ostendunt nequaquàm ipsam prędestinationem, omnium hominum fuisse. Prędestinatus nanque Christus fuit specialiter secundum modũ prędestinationis suę.† prędestinati quoque & alij, qui secundum propositum Dei vocati sunt sancti.† sancti, inquam, vt propriis & singularibus operibus essent sancti, sicut Paulus testatur cùm ait, Vt sciat vnusquisque vestrũ &c.† & alio in loco dicit, Qui prędestinauit nos.† non autẽ omnes. CAL. Quam tu putas erroris huius causam fuisse? CAM. Nesciẽs bonus iste pater distinguere, inter ea quæ ex ordine prouidentiarum, & ex ordine prædestinationis, vel reprobationis proueniunt: cùm animaduerteret Deum voluisse omnes in iustitia originali creare, itaque in æternam gloriam eos dirigere: rursum Deum velle omnes saluos fieri: his auditis hanc

† *Rom.* 8.
† *Rom.* 1.
† *Rom.* 8.
† 1. *Tes.* 1. c. 4.
† *Ephe.* 1.

ęternam omnium prædeſtinationem fuiſſe cogitauit: atque hoc ductus errore, farraginem magnam ſcripturarum aceruauit: quam indocti concionatores, alienos labores plerunque deſcribentes, memoriæ commendare ſolent, vt auditores ad pœnitentiam hortentur. quæ ſcripturæ omnes in ſumma id dicunt, quod Paulus Romanis hoc vnico teſtimonio recenſet, An diuitias bonitatis eius & patiētiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniā benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in diem iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum
† *Rom.2.* opera ſua.† Et hoc quidem vt pater Georgius ex his inferret, omnes Deū prædeſtinaſſe, quos deinde ad pœnitentiā adducit: illos verò in tēpore reprobaſſe, qui quantumlibet ad pœnitentiā vocati ſe peccaſſe pœnitere nolūt. In duos maximos errores incidens: alterum, quia nō cogitat Paulum ſpeciatim loquutum fuiſſe, O homo? cōtendis? te adducit? duas cohortes omnium deinde faciens, eorum ſcilicet qui vitam æternam ad quam prędeſtinati ſunt quęrūt: illorum item qui ſunt ex contentione, ab ęterno reprobati iam ab illo, qui vtriuſque futuram vitam
† *Rom.2.* ab ęterno pręſciuit.† Alterum verò, quia neſcit inter prędeſtinationem, reprobationémque, & effectus ſeu executiones earum diſcernere. Neſcit prętereà omnia hęc quę in tempore Deum agere ſcripturę acclamāt, quandoque prouidentiarū effectus eſſe, quę in finem ſuum tendunt, prout natura pro-

uidentiæ Dei in finem tendere est†. quandoque prædestinationis effectus, dum cum proposito electos vocat. quandoque reprobationis, vt vocatos qui ex contentione sunt induret, ac in reprobum sensum tradat.† Hinc planè illud quoque huius boni viri delyrium prouenit vt diceret, Cain minimè antequàm natus esset, reprobatum fuisse, quia Dominus post eius natiuitatẽ ei dixit, Quare iratus es? Similiter & Esau tunc reprobasse, quando primogenita vendidit. quasi Deus ad ostiũ reprobatorum quoque non stet, pulsans vt ei ianua aperiatur. itaque quod sua prouidentia decreuit, omnibus specialiter principio offerat, donec resistentes indurat: quẽ in modum prouidentia Dei certa est ex parte eius, & simul facto hominis frustratur. Hinc quoque & alia delyria prouenerunt, vt diceret, Deum non antè Adamum redimere voluisse, nisi postquàm in horto peccauit. Ac denique ipsa vasa quorum Paulus meminit, post Euangelij prædicationem esse facta.† Quis enim hunc hominem non irrideat? qui Paulum in exordio suæ epistolæ induens, volens alios corripere, nesciat ipse Deum nihil facere in tempore respectu hominum, quod ab æterno absque tempore non fecerit. Non quidem & hoc legit, nempe Deum eam ob causam id quod vult, actu perpetuo velle: quoniam nunquam velle incipit, qua de re, cùm Paulus de ipsa gratia nobis in tempore data verba faceret, sic ait: Collaboro secundum virtutem Dei, qui nos

† 1.q.22.1.0

† Diximus ĩ Catholico c.1.§.3.

† Hæc omnia Georgi in explan. epi. ad Ro. c.9.10.& 11. et in epistola quoq; sua.

liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiã quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu, ante tempora ſecularia (audiat Georgius, ante tempora ſecularia) manifeſtata autem eſt nunc, per illuminationem ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam

† 2.Tim.1. & incorruptionem per Euangelium. † ita quidem vt omnia dona quæ in ipſo Euangelio continentur, ſic manifeſtata ſint in tẽpore, ſicut præparata ſunt ante tempora ſecularia. Conticere certè illi ſatius fuiſſet: pręſertim cùm non aduertit, hęc omnia à Paulo enarrata, quæ in tempore fiũt, propter præſcientiam omnium futurorum præſentia ipſi Deo fuiſſe, & tam electionem quàm reprobationẽ origine pręceſſiſſe. † Porrò cum verborum Ieſu meminiſſet, dicentis, Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis, † & alio in loco, Qui peccauerit mihi, delebo illum de libro vitæ. † illorum item, Siquis minuerit de verbis prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitę: † ratus librum vitæ quid creatum eſſe, in quo omnes homines, tãquam à Deo in gloriam electi, ab ęterno ſcripti fuerint: omnes (nemine excepto) pręděſtinatos fuiſſe dixit. vnde ob propriam culpam, deinde tanquam in tẽpore reprobati, deleantur. Et hoc vnde, niſi quia patres, & præſertim Auguſtinum, nunquam legit? vt ſciret prędeſtinationem ab ęterno factã, ſic ſtabilem eſſe, vt mutari deinde nõ poſſit, etiam ſi pec-

† Diximus ſup. ĩ Cath. c.1. & 9.
† Luc.10.
† Exo.32.
† Apo.22.

cauerit prędeſtinatus, cui omnia cooperantur in bonum.† Non quidem hic bonus vir, librum vitæ aliud à prędeſtinatione eſſe nouit. Quis aures ad audiendum attentas huic homini pręſtare poterit, qui Paulum in ſententiis illis, quas in capite nono ad Romanos aceruat, de ipſa potentia Dei: non autem quod actu ita proceſſerint, locutum eſſe cõtendit? Paulo perſępe dicente, dilexit, odio habuit, fecit, pręparauit. Miſerebor cuius miſereor, & miſericordiam pręſtabo, cuius miſerebor, ea quę actu facta ſunt, ſcribens. Ecce Caluine, quos fructus hi producunt, qui ſpretis patribus, & ſcripturę teſtimonia proprij capitis inſania interpretari, & de rebus magnis diſputare volunt. huius enim tanti mali vos Proteſtantes cauſa eſtis, cùm, non recto hominum ſenſu, quęſtiones terminandas eſſe, ſed veſtro potius contorto, quo ſcripturam deprauatis, coniectandum eſſe vbique acclamatis, ſcripturam id apellãtes, quod veſtro ex capite promanat. Quãtum autem ad Franciſci Spierę, ipſius Georgij competitoris cauſam attinet, pari paſſu ambulantes, ſtulti tandẽ facti ſunt ambo. Franciſcus, dum ſe certum reprobationis ſuę eſſe aſſeuerare non pertimeſcit: Georgius verò, dum mutari poſſe in tempore ęternam prędeſtinationem vel reprobationem ſuſtinere conatus fuit. In hoc tamen differunt, quia Franciſcum Rabinorum ignorantia à nobis in Proteſtante manifeſtata decepit, Gregorium autem ſua ignorantia craſſa ſatis. Quid autem ego effecerim,

† *Diximus in proteſt. parte.1.c.2.*

hic libellus oſtendit. quid verò tu: libri tui, & integer hic Caluinus commonſtrant. Reliquum eſt vt cæteri iudicent.

CAPITIS OCTAVI. §. PRIMVS.

Reliquæ Caluini exceptiones.

CALVINVS, CAMERARIVS.

EANE legiſti quæ à pag.139.vſque ad 152. ſcripſi,docẽs ſolius Dei opus fuiſſe, cùm ſeptẽ millia virorũ ſibi reſeruauit?† CAM. Minimè quidem abſque eorum conſenſu ſalui facti ſunt: & Auguſtino te opponis, cui placuit,etiam in his quæ Deus ab homine exigit, vt homo pro inſtrumento ei ſit, non fieri abſque hominis arbitrio libero.† Longum ſermonem de his habuimus. noli ad vomitũ redire. CAL. Adeò Laconicus es, vt quaſi per acies ſentẽtias meas colligens,viginti paginas vnius argumẽti loco habueris: & cùm vni propoſitioni ſatisfeciſſe te putas,reliquis poſthabitis, iam ſiles? CAM. Quid ad me ſi modò Stoici, modò Peripatetici, modò Aſtronomi,modò oratoris perſonam induens,cum de ipſa Dei prouidentia agis, multa afferas quæ ad rẽ non faciunt?Mihi certè nihil curæ eſt, quid Ariſtoteles, Euclides vel Ptolemæus,ſed quid ſcriptura doceat. Nil item oratorem induere,vt auditoribus vel ſcribendo vel concionando aliter quàm ſcriptura docet, falſo aliqua perſuadeam. Siquidem cùm Dominus dixit, Paracletus docebit vos omnia:† mi-

† *Rom.* 11.

† *De gra.et lib.ar.c.*21.

† *Ioan.* 14.

nimè dixit illam philoſophiam, aſtrorum rationẽ, vel oratoriam artem docturum eſſe. Chriſtianos certè facere volebat. Siqua tamen præter hæc ex me ſcire optas, ea lege quæ cum Catholicis & Proteſtantibus diſſerui, & nihil tibi deerit. Non quidem de his tecum diſputare decebat, quæ ante te ab aliis proteſtantibus ſcripta ſunt. CAL. Cauſam ex te ſcire velim, cur libros meos mordere nõ ceſſes, aſſerens interim te magnum meum amicum eſſe? CAM. Magis amica ipſa veritas eſt, Chriſtus item Dominus, cui ex toto corde ſeruio. CAL. Cur in omnibus libris quos edis ſtricto gladio in libros meos inuadere conaris? num amor ille noſter antiquus, in odium conuerſus eſt? CAM. Quoniam tu vltimus ſcripſiſti, tu quoque cæteris ingenioſior es, tu prȩterea hac ætate Proteſtantium ſectæ multos adſciſcere conaris: ego verò omnes libros tuos, quos accuratè legi, in manibus habeo, & cum tibi reſpondeo, ſimul omnibus me proteſtantibus qui nunc ſuperſunt reſpondere reor: idcircò tecum diſputare perpetuò opto. Placeat itaque ſic meos labores legere, ſicuti tuos ego perlegi, & ſi qua rectius ſenſeris, in medium prome. Non quidem erubeſco non ſolùm ab ingenioſo Caluino, verum etiam à quocunque veritate comite doceri.

FINIS.

ãmera d Præ destinat


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm